OFFICIA PROPRIA
SANCTORUM

à Sacra Rituum Congregatione
RECOGNITA ET APPROBATA.

JUXTA DECRETA RECENTER EMANATA.

Pro commoditate recitantium

HORAS CANONICAS

COLLECTA,

ATQUE NOVITER

REIMPRESSA.

ANNO DNI 1773.

Eremitt Camald Eremi Mont: Regij ppelaris



VARSAVIÆ

Typis S. R. Maiestatis & Reipublicæ
In Collegio Scholarum Piarum.

JANUARIUS

DOMINICA 2da. POST EPIPHANIAM.

In Festo SS. Nominis JESU. Duplex Secundæ Classis. Ad Vesperas Antiphona.

OMnis, qui invocaverit Nomen Domini, salvus erit.

Psalmus. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica & loco ultimi, Psalmi,* Credidi.

Antiphona. Sanctum & terribile Nomen ejus: Initium Sapientiæ timor Domini.

Antiphona. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO JESU meo.

Antiphona. A Solis ortu usque ad occasum, laudabile Nomen Domini.

Antiphona. Sacrificabo hostiam laudis, & Nomen Domini invocabo.

Capitulum. Philip. 2.

FRatres Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod est super omne nomen, ut in Nomine JESU omne genu flectatur.

HYMNUS.

JESU dulcis memoria
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel & omnia,
Ejus dulcis præsentia.

Nil canitur suaviùs,
Nil auditur jucundiùs,
Nil cogitatur dulciùs,
Quam JESUS DEI Filius.

JESU ſpes pœnitentibus,
Quàm pius es petentibus
Quam bonus Te quærentibus,
Sed quid invenientibus?
Nec lingua valet dicere,
Nec litera exprimere.
Expertus poteſt credere,
Quid ſit JESUM diligere.
Sis JESU noſtrum gaudium,
Qui es futurum præmium:
Sit noſtra in Te gloria,
Per cuncta ſemper ſæcula. Amen.

℣. Sit Nomen Domini benedictum, Alleluja.
℟. Ex hoc nunc & usque in ſæculum, Alleluja.

Ad Magnificat Antiphona.

Fecit mihi magna qui potens eſt, & Sanctum Nomen ejus, Alleluja.

O R A T I O.

DEUS, qui unigenitum Filium Tuum conſtituiſti humani generis Salvatorem, & JESUM vocari juſſiſti: concede propitius; ut, cujus Sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoque aſpectu perfruamur in cœlis. Per eundem Dominum. &c.

Deinde ſit Commemoratio Dominicæ II. poſt Epiphaniam.

Antiphona. Suſcepit DEUS Jſràél puerum ſuum: ſicut locutus eſt ad Abraham, & ſemen ejus: exaltare humiles usque in ſæculum.

℣. Veſpertina Oratio aſcendat ad Te Domine.
℟. Et deſcendat ſuper nos miſericordia Tua.

O R A T I O.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui cœleſtia ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per Dominum. &c.

Ad Completorium & per Horas diei in fine Hymni dicitur.

JESU Tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum Invitatorium.

Admirabile Nomen JESU quod eſt ſuper omne Nomen. * Venite adoremus. *Pſalmus*: Venite.

HYMNUS.

JESU Rex admirabilis,
Et triumphator Nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intùs fervet charitas.
JESU dulcedo cordium,
Fons vivus lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.
JESUM omnes agnoſcite,
Amorem ejus poſcite;
JESUM ardenter quærite,
Quærendo inardeſcite.
Te noſtra JESU vox ſonet,
Noſtri Te mores exprimant,
Te corda noſtra diligant,
Et nunc & in perpetuum. Amen.

In primo Nocturno Antiphona.

Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt Nomen tuum in univerſa terra.

Pſalmus. Domine Dominus noſter. *Cum reliquis ut in Officio parvo B. Mariæ. Pſalmus verò iſte incipit à ſecundo verſu.* Quoniam elevata eſt. *Antiphona.* In Nomine JESU omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.

Pſalmus. Cœli enarrant. *Ant.* Confitemini Domino & invocate nomen ejus, mementote quoniam excelsũ eſt Nomen ejus. *Pſalmus.* Domini eſt terra.

℣. Propter Nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.

℟. Multum eſt enim.

Pater noſter &c.

Abſolut: Exaudi Domine. &c.

Benedictio. Benedictione perpetua.

De actibus Apoſtolorum.

LECTIO I. CAP. I.

PEtrus autem & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero Matris ſuæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Specioſa, ut peteret Elèémoſynam ab introeuntibus in templum. Is cùm vidiſſet Petrum & Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut elèémoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit: Reſpice in nos. At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: argentum & aurum non eſt mihi, quòd autem habeo, hoc tibi do: In Nomine JESU Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu ejus dextera allevavit eum. Et protinùs conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ. Et exiliens ſtetit, & ambulabat: & intravit cum illis in templum, ambulans, & exiliens, & laudans DEUM.

℣. Ecce concipies & paries Filium, & vocabis Nomen ejus JESUM. * Ipſe ſalvum faciet populum ſuum, à peccatis eorum.

℣. Vocatum eſt Nomen ejus JESUS, quod vocatum eſt ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur. Ipſe enim. *Benedictio.* Unigenitus DEI. &c.

LECTIO II.

ET vidit omnis populus eum ambulantem & laudantem Deum. Cognoſcebant autem illũ, quòd ipſe erat, qui ad elèémoſynam ſedebat ad Speciosam portam templi, & impleti ſunt ſtupore & exstaſi in eo, quòd contigerat illi. Cùm teneret autem, Petrum & Joannem, cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum, quæ appellatur Salomonis, ſtupentes. Videns autem Petrus, reſpondit ad populum: Viri Jſràélitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute aut poteſtate fecerimus hunc ambulare? DEUS Abraham, & DEUS Jſaac, & DEUS Jacob, DEUS Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum JESUM, quem vos quidem tradidiſtis, & negaſtis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem ſanctum & juſtum negâſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis: Auctorem verò vitæ interfeciſtis, quem DEUS ſuſcitavit à mortuis, cujus nos teſtes ſumus. Et in fide Nominis ejus, hunc, quem vos vidiſtis, & noſtis, confirmavit? Nomen ejus, & fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam in conſpectu omnium veſtrum.

℟. Benedictum eſt Nomen Tuum, DEUS Patrum noſtrorum, qui cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis; * Et in tempore tribulationis peccata dimittis.

℣. Et benedictum Nomen Majeſtatis Tuæ in æternum, qui facis mirabilia ſolus. Et in tempore.

Bened. Spiritus Sancti.

LECTIO III. CAP. IV.

FActum eſt autem in craſtinum, ut congregarentur Principes eorum, & Seniores, & Scribæ in Jeruſalem, & Annas Princeps Sacerdotum, & Caiphas,

phas, & Joannes, & Alexander, & quotquot erant de genere Sacerdotali, & ſtatuentes eos in medio interrogabant: in qua virtute, aut in quo Nomine feciſtis hoc vos: Tunc repletus Spiritu Sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi & Seniores audite: Si nos hodie dijudicamur, in benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſalvus factus eſt, notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Jſràél, quià in Nomine Domini noſtri JESU Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem DEUS ſuſcitavit à mortuis, in hoc iſte adſtat coram vobis ſanus. Hic eſt lapis, qui reprobatus à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli: & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud Nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

℟. Laudabo Nomen Tuum aſſiduè. * Et collaudabo illud in confeſſione.

℣. Lætabor & exultabo in Te, pſallam Nomini Tuo Altiſſime. Et collaudabo. Gloria Patri. Et collaudabo.

In ſecundo Nocturno Antiphona.

Memores erunt Nominis Tui Domine, in omni generatione & generationem. *Pſalmus.* Eructavit.

Ant. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus Nomen ejus in id ipſum. *Pſalmus.* DEUS noſter refugium. &c.

Ant. Omnes gentes quaſcunque feciſti, venient & adorabunt coram Te Domine & glorificabunt Nomen Tuum. *Pſalmus.* Fundamenta.

℣. Propter gloriam Nominis tui Domine libera nos.

℟. Et propitius eſto peccatis noſtris, propter Nomen tuum. *Abſol.* Ipſius pietas.

Benedictio. DEUS Pater Omnipotens.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ser.

Ser. 15. Super Cantica, circa medium.

L E C T I O III.

NOn otiosè Spiritus Sanctus Nomen Sponsi oleo comparat, cùm ita docet Sponsam, & Sponsum clamare: Oleum effusum Nomen Tuũ. Oleum enim lucet, pascit & ungit. Fovet ignem, nutrit carnem, lux, cibus medicina. Vide idem nunc, & de Sponsi Nomine: Lucet prædicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit, & ungit. Et percurramus singula. Undè putas in toto orbe, tanta & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Nomine JESU? Nonne in hujus Nominis luce DEUS nos vocavit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis, & in lumine isto, videntibus lumen, dicat merito Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.

℟. Sperent in Te qui noverunt Nomen Tuum. * Quoniam non dereliquisti quærentes Te Domine.

℣. Exsurge Domine adjuva nos & libera nos propter Nomen Tuum. Quoniam.

Bened. Christus perpetuæ.

L E C T I O V.

HOc denique Nomen coram Regibus, & Gentibus, & Filiis Jsràël portare jussus est idem Apostolus; & portabat Nomen, tanquam lumen, & illuminabat Patriam, & clamabat ubique: Nox præcessit dies autẽ appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum annuntians in omni loco JESUM, & hunc crucifixum. Quomodo lux ista resplenduit, ac perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tanquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit & bases, multosque spiritualiter cæcos illuminavit?

Nunquid non ignem ſparſit, cum ait: In Nomine JESU Nazareni, ſurge & ambula.

℟. Confiteamur Nomini tuo magno. * Quoniam terribile & ſanctum eſt.

℣. Hi in curribus, & hi in equis nos autem in Nomine Domini noſtri invocabimus. Quoniam.

LECTIO VI.

NEc tantum lux eſt Nomen JESUS, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æquè mentem cogitantē impinguat: Quid ita exercitatos reparat ſenſus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honeſtos, caſtas fovet affectiones. Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur. Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi JESUM. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi JESUS. JESUS mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed eſt & medicina. Triſtatur aliquis noſtrum? Veniat in cor ejus JESUS, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum Nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen? currit inſuper ad laqueum mortis, deſperando? Nonne ſi invocet Nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitam!

℟. Lætentur omnes qui ſperant in Te Domine, in æternũ exultabunt & habitabis in eis, & gloriabuntur in Te omnes. * Qui diligunt Nomen Tuum.

℣. Domine in lumine vultus Tui ambulabunt tota die. Qui. Gloria. Qui.

In Tertio Nocturno Antiphonæ.

Cantate Domino & benedicite Nomini ejus, annunciate de die in diem ſalutare ejus. *Pſalmus.* Cantate Domino.

Antiph. Secundùm Nomen Tuum DEUS, ſic & laus Tua in fines terræ, juſtitiâ plena eſt dextera Tua.

Tua. *Psalmus.* Dominus regnavit exultet terra, &c.

Antip. Cantate DEO Psalmum, dicite Nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus Nomen illi. *Psalmus* Cantate.

℣. Afferte Domino gloriam & honorem.

℟. Afferte Domino gloriam Nomini ejus. Pater noster, &c.

Absolutio. A vinculis, &c.

Bened. Evangelica Lectio, &c.

Lectio Sancti Evangelii Secundùm Lucam.

LECTIO VII. CAP. II.

IN illo tempore: postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est Nomen ejus JESUS. *Et reliqua.*

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Serm. 1. *de Circumcisione.*

MAgnum & mirabile Sacramentum. Circumciditur Puer & vocatur JESUS. Quid sibi vult ista connexio? circumcisio nempe magis salvandi, quam Salvatoris esse videtur, & Salvatorem circumcidere potius decet quam circumcidi. Sed agnosce mediatorem DEI, & hominum, qui ab ipso Nativitatis suæ exordio Divinis humana sociat, ima summis. Nascitur ex muliere, sed cui fæcunditatis fructus sic accedit, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur, sed Panni ipsi Angelicis laudibus honorantur. Absconditur in præsepio; Sed proditur radiante stella de cœlo. Sic & circumcisio veritatem susceptæ probat humanitatis: & Nomen quod est super omne Nomen, gloriam indicat Majestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahæ filius. JESUS vocatur tanquam verus Filius DEI.

℟. Tribulationem & dolorem inveni. * Et Nomen Domini invocavi.

℣. Turris fortissima Nomen Domini, in ipso speravi & adjutus sum. Et Nomen, &c. *Be-*

Bened. Divinum Auxilium.

LECTIO VIII.

NEque enim ad instar priorum meus iste JESUS, Nomen vacuum aut inane portat. Non est in eo magni Nominis umbra, sed veritas. Cœlitùs siquidem inditum Nomen Evangelista testatur, quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in utero conciperetur. Et attende verbi profunditatē: Postquàm natus est JESUS. JESUS vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo priusquàm in utero conciperetur. Idem quippe & Angeli Salvator & hominis, sed hominis ab Incarnatione, Angeli ab initio Creaturæ. Vocatum est ait; Nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo. In ore ergo duorum vel trium testium stat omne verbum: & ipsum, quod in Propheta abbreviatum, manifestiùs in Evangelio legitur Caro factum.

℟. Expectabo Nomen Tuum Domine. * Quoniam bonum est in conspectu Sanctorum Tuorum.

℣. Ut confiteamur Nomini Sancto Tuo, & glorificemur in laude Tua. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

Bened. Per Evangelica dicta.

Lectio Sancti Evangelii Secundum Joannem.

LECTIO IX. CAP. VIII.

IN illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat Mater JESU ibi. Vocatus est autem & JESUS & Discipuli ejus ad nuptias. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Tract. 9. in Joann. post init.

QUod Dominus invitatus venit ad nuptias, etiam excepta mystica significatione, confirmare voluit, quod ipse fecit nuptias. Futuri enim erant, de quibus dixit Apostolus, prohibentes nubere, & dicen-

dicentes: quod malum essent nuptiæ, & quod diabolus eas fecisset, cum idẽ Dominus dicat in Evangelio, interrogatus utrum liceat homini dimittere uxorem suam, ex qualibet causa? non licere excepta causa fornicationis. In qua responsione, si meministis, hoc ait: Quod DEUS conjunxit, homo non separet.

Te DEUM laudamus.

Si verò hoc Festum contingit, transferri nona Lectio erit sequens.

MEritò sanè dum circumciditur puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc jam cœpit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim jam est quærere Christianis, cur voluerit Christus Dominus circumcidi. Propter hoc siquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato genitus, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo: magis autem propter delicta nostra. Quod vocatum est, inquit, ab Angelo priusquam in utero conciperetur. Vocatum plane non impositum. Nempe hoc ei Nomen est ab æterno: A natura propria habet, ut sit Salvator, innatum est ei Nomen, non inditum ab humana vel Angelica Creatura.

Te DEUM laudamus, &c.

Ad Laudes.

Et per horas Antiphonæ.

OLeum effusum Nomen Tuum; ideò adolescentulæ dilexerunt Te.

Psalmus. Dominus regnavit. *Cum reliquis de Dominica ut in Psalterio.*

Antiphona. Scitote quia Dominus ipse est DEUS, cujus Nomen in æternum.

Anti-

Antiphona. Sitivit anima mea, ad Nomen Sanctum Tuum Domine.

Antiphona. Benedictum Nomen gloriæ Tuæ Sanctum, & laudabile & ſuperexaltatum in ſæcula.

Antiphona. Juvenes & Virgines, Senes cum junioribus laudate Nomen Domini quia exaltatum eſt Nomen ejus ſolius.

Capitulum Philip. 2.

FRatres Chriſtus humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & DEUS exaltavit illum & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne Nomen, ut in Nomine JESU omne genu flectatur.

H Y M N U S.

JESU decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cœlicum.
Qui Te guſtant, eſuriunt;
Qui Te bibunt adhuc ſitiunt,
Deſiderare neſciunt,
Niſi JESUM quem diligunt.
O! JESU mi dulciſſime,
Spes ſuſpirantis animæ,
Te quærunt piæ lachrymæ
Te clamor mentis intimæ.
Mane nobiſcum Domine,
Et nos illuſtra lumine,
Pulſa mentis caligne
Mundum replens dulcedine.
JESU flos Matris Virginis
Amor noſtræ dulcedinis
Tibi laus, honor Nominis
Regnum beatitudinis. Amen.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.

℟.

℟. Qui fecit cœlum & terram.

Ad Benedictus Antiphona.

Dedit ſe, ut liberaret populum, & acquireret ſibi Nomén æternum. Alleluia.

O R A T I O.

DEUS qui Unigenitum tuum, &c. *Vide ſupra.*

Deinde fit Commemoratio Dominicæ ſecundæ poſt Epiphaniam.

Antiphona. Nuptiæ factæ ſunt in Cana Gallileæ, & erat ibi JESUS cum MARIA Matre ſua.

℣. Dominus regnavit, decorem induit.

℟. Induit Dominus fortitudinem & præcinxit ſe.

O R A T I O.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui Cœleſtia, &c. *Vide ſupra.*

Ad primam. ℟. *breve* Chriſte Fili.

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam Antiphona.

Scitote.

Capitulum. Fratres Chriſtus humiliavit, *ut ſupra.*

℟. *Breve.* Sit Nomen Domini benedictũ. * Alleluia, Alleluia. Sit Nomen Domini. ℣. Ex hoc nunc & usque in ſæculum, Alleluia, Alleluia.

Gloria Patri, &c. Sit Nomen, &c.

℣. Afferte Domino gloriam & honorem, Alleluia.

℟. Afferte gloriam Nomini ejus, Alleluia.

Ad Sextam Antiphona.

Sitivit.

Capitulum Philip. 2.

IN Nomine JESU omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS Chriſtus in gloria eſt DEI Patris.

℟. *Breve.* Afferte Domino gloriam & honorem. Allel.

Allel. Allel. * Afferte Domino gloriā Nominis ejus, Alleluia, Alleluia. Gloria Patri. Afferte.

℣. Magnificate Dominum mecum Alleluia.

℟. Et exaltemus Nomen ejus in id ipſum. Alleluia.

Ad Nonam Antiphona.

Juvenes & Virgines, &c.

Capitulum Coloſſ. 3.

OMne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine JESU Chriſti facite; gratias agentes Deo, & Patri per ipſum.

℟. *Breve.* Magnificate Dominum mecum. * Alleluia, Alleluia. Magnificate. ℣. Et exaltemus Nomen ejus in id ipſum, Allel. Allel. Gloria Patri. Magnificate, &c.

℣. Adjutorium noſtrorum in Nomine Domini, Alleluja.

℟. Qui fecit cœlum & terram, Alleluja.

In Secundis Veſperis omnia dicuntur ſicut in primis. Ad Magnificat Antiphona.

Vocabis Nomen ejus JESUM, ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

Deinde fit Commemoratio Dominicæ Secundæ poſt Epiphaniam.

Antiph. Deficiente vino, juſſit JESUS impleri hydrias, aqua in vinum converſa eſt, Alleluja.

℣. Dirigatur Domine oratio mea.

℟. Sicut incenſum in Conſpectu Tuo.

Oratio. Omnipotens ſempiterne, *ut ſupra.*

FEBRUARIUS

S. BRIGIDÆ Virg. Patr. Reg. Pol.

Omnia de Comm. Virg. præter ea quæ ſequuntur.

ORATIO.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui es Sanctarum

rum gloria Virginum, clementiam Tuam ſupplices exoramus, ut per merita Beatæ Virginis tuæ Brigidæ, opportunum tuæ pietatis auxilium ſentiamus. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium Tuum, qui Tecum, &c.

Lectiones 1. *Noct. de Scriptura occurrente.*

L E C T I O IV.

SAncta Brigida Virgo in magna veneratione habetur in Scotia. Hæc ab ipſo pueritiæ ævo in omni tempore in devotione, ſanctitate & caſtitate DEO ſervire ſtuduit, tantam quoque gratiam à DEO conſecuta; ut per eam multa ſigna & miracula fierent. Cumque de manu cujusdam Epiſcopi velamen more monialium ſuſciperet, ſuper caput ſuum, ipſa inclinans ſe ad pedes altaris, lignum quod erat altari adaptatum ab antiquo, manu ſua tetigit, & ſtatim viride factum & in perpetuum viride manſit, & imputribile. Tantæque pietatis fuit S. Brigida, ut quidquid habere poterat, pauperibus tribueret. Quadam autem vice puer quidam leproſus ad eam venit, petens aliquod beneficium ab ipſa; quæ dicit: vis, ut adoremus Deum, & cureris à lepra? Reſpondit ille, hoc mihi acceptius eſt omni munere. Tunc Virgo Sancta benedixit aquam, & eadem aquâ caput leproſi aſperſit, & ſtatim mundatus eſt, & gratias egit Deo, & tranſiit ad S. Brigidam ſerviens ei quamdiu vixit.

L E C T I O V.

QUodam tempore vidit quendam miſerum duci ad damnationem, & condoluit ei tantùm ut pro liberatione ipſius oraret Deum. Factaque oratione auri maſſam in ſinu ſuo reperit, deditque judici, ut reum dimitteret, & ſic ille à morte liberatus eſt. Iterũ quodã tempore Brigida S. & quædã altera puella Sancta convenientes, totã noctẽ colloquiis

quiis deduxerunt, & tenebras noctis omnino non senserunt. Puella illa rogabat Sanctã Brigidam, ut benedictionem faceret super oculos ejus, ut videre posset: erat enim cæca & nunquam viderat. Tunc Sancta Brigida benedixit oculis ejus, & aperti sunt. Puella veró circumspiciens modicum, dixit Sanctæ Brigidæ, rogo te iterum, occlude oculos meos, ne amplius videam mundum. Quantò enim homo minùs videt mundũ, tantò clariùs videre potest Deũ. Tunc Sancta Brigida fecit, ut iterum occluderentur oculi ejus, sicut ipsa petebat.

LECTIO VI.

CUm die quadam messores ejus segeem in agro colligerent, & pluvia maxima erumperet: à messoribus suis imbrem sedavit: circumstantibusque agris pluviâ madefactis sola hujus area sicca permansit. Die quadã dũ oves pasceret imbre cadente pannos perfusa domũ rediit, & vestes madefactas super solis radium, qui per rimas intrabat siccandas extendit, quæ quasi in solida pertica diutius permanserunt. Aquam in cerevisiam, & lapidem in salem convertit: & à nativitate cœcum illuminavit. Cum novem viri in mortem unius conspirassent: & eos Virgo Christi ab intento pessimo revocare non posset, oravit ad Dominum, ut nequam ipsorum voto resisteret. Egressis autem illis apparuit imago quædam quasi illius hominis occidendi, quam illi gladiis percutientes, hominemque peremisse putantes læti reversi sunt. Sed dum quid illis contigerat cognoverunt, compuncti ad pedes Virginis prociderunt & pœnitentiam egerunt. Sicque Sancta Virgo multis clarens virtutibus quievit in pace Kalendis Februarij.

In Festo S. SCHOLASTICÆ *Virginis.*

Duplex minus.

Omnia de Communi Virginum præter sequentia.

O R A T I O.

DEUS, qui animam Beatæ Virginis tuæ Scholasticæ, ad ostendendam innocentiæ viam, in Columbæ specie Cœlum penetrare fecisti; da nobis ejus meritis, & precibus ita innocenter vivere, ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente; *quod si festum venerit in Quadrages. Lect. erunt de Epist.* Prima B. Pauli Apostoli ad Corinth. *de Comm. Virgin.*

In 2do. Nocturno.

Ex libro secundo Dialogorum S. Gregorii Papæ.

LECTIO IV. CAP. 33.

SCholastica Venerabilis Patris Benedicti Soror, Omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata; ad eum semel per annum venire consueverat; ad quam vir Dei non longè extra januam in possessione Monasterij descendebat. Quadã verò die venit ex more, atque ad eam cum Discipulis venerabilis ejus descendit Frater, qui totum diem in DEI laudibus, sacrisque colloquiis ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris, simul acceperunt cibum. Cumque adhuc ad mensam sederent & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis fœmina Soror ejus eum rogavit, dicens: Quæso te, ut ista nocte me non deseras, ut usque mane de cœlestis vitæ gaudiis loquamur: Cui ille respondit: quid est quod loqueris Soror? manere extra cellam nullatenus possum. Tanta verò erat Cœli serenitas, ut nulla in àère nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina, cum

cum verba Fratris negantis audivisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus, Omnipotentem Dominum rogatura declinavit. Cumque levaret de mensa caput, tanta coruscationis, & tonitrui virtus, tantaque inundatio pluviæ erupit, ut neque venerabilis Benedictus, neque Fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem movere potuerint.

℟. Ptopter veritatem, &c.

LECTIO V.

SAnctimonialis, quippè fœmina caput in manibus declinans, lachrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem äëris ad pluviam traxit. Nec paulò tardius post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit convenientia orationis, & inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret: quatenus unum, idemque esset momentum, & levare caput, & pluviam deponere. Tunc Vir DEI inter coruscationes, & tonitrua, atque ingentis pluviæ inundationem, videns se ad Monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus dicens. Parcat tibi Omnipotens DEUS: Soror quid est, quòd fecisti? Cui illa respondit: Ecce rogavi te, & audire me noluisti; rogavi DEUM meum, & audivit me: modo ergo, si potes, egredere, & me dimissa ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit in loco, mansit invitus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per sacra spiritualis vitæ colloquia, sese vicaria relatione satiarent.

℟. Dilexisti justitiam.

LECTIO VI.

CUmque die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset, Vir DEI ad Monaste-

nasterium rediit. Cùm, ecce post triduum in cella consistens, elevatis in àéra oculis, vidit ejusdem Sororis suæ Animā de corpore egressam in columbæ specie Cœlos penetrare. Qui, tantæ ejus gloriæ congaudens, Omnipotenti DEO in hymnis, & laudibus gratias reddidit, ejusque obitū Fratribus denunciavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad Monasterium deferrent; atque in sepulchro, quod sibi ipsi paraverat ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in DEO fuerat, eorū quoque corpora nec sepultura separaret.

℟. Afferentur Regi Virgines.

In tertio Nocturno, Homilia in Evangelium. Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus, *de Communi Virginum; & si venerit in Quadragesima IX. Lectio de Homilia Feriæ. Ut patet ex Decret. Dat. sub die* 8. *Febr:* 1729.

In Festo S: Ildephonsi Episcopi & Confessoris.
Semiduplex.

LECTIO IV.

Ildephonsus qui & Alphonsus dicitur Natione Hispanus Nobilissimis Stephano & Lucia Parentibus ortus omnique cura nutritus, liberalibus disciplinis instructus est. Primum habuit Præceptorem Eugenium Toletanum Antistitem, à quo miram ob Indolem, Hispalim ad Isidorum mira hinc eruditione pollentē est missus. Duodecem apud Isidorū commoratus annos, tandem fruge bona doctrinaque sana imbutus Toletum remeavit ad Eugenium. Postquam vero factus est ob vitæ candorem peritiāque non vulgarem ab Eugenio Ecclesiæ Toletanæ Archidiaconus, mundi cupiens laqueos declinare, in Agaliensi Monasterio (quod Sanctis Martyribus Cosmæ & Damiano tunc erat dicatum) insigne pieta-

tis cucullum induit. Cui neque Parentes, jam prece, jam vi omnia tentantes, obſiſtere valuerunt, quin conſtanter in propoſito permaneret.

℟. Inveni David.

LECTIO V.

MOnachi non multò poſt Jldephonſum in demortui Abbatis locum ſubrogarunt: Suſpiciebant ſiquidem in eo (præter virtutes reliquas) æquitatem morùm, facilitatem, prudentiam, raram ſanctitatem. Sanctus itaque fulgor, tanta veræ pietatis lux (quod ipſe timebat) latere non potuit. Eugenio namque vita functo, Cleri, ſenatûs, populique totius decreto Toletanus Archiepiſcopus eſt creatus. In quo quidem Præſulatu quantum verbo Jldephonſus profecerit, quæ miracula ediderit, quam multis fuerit nominibus de Virgine Matre benemeritus non facile quis explicare quiverit. Cænobium Virginum in Delienſi villula ædificavit, ac magnis muneribus auxit. Hæreticos quosdam, qui in Hiſpania Hæreſim Helvidianam tollentem perpetuam Mariæ DEI Genitricis Virginitatem diſſeminab nt, doctiſſimè confutavit, ab Hiſpaniaque depulit, quam diſputationem explicavit libro, quē ſcripſit de Virginitate Beatæ MARIÆ, rem miraculo confirmante. Cùm enim Jldephonſus ad preces matutinas Expectationis B. MARIÆ in Eccleſiam noctæ deſcenderit, Comites in Eccleſiæ limine, fulgore quodam repentino deterriti retroceſſerunt: iſte intrepidus ad aram progreſſus Virginem ipſam vidit & adoravit, ab eademque veſtem quâ in ſacrificiis uteretur accepit. ℟. Poſui adjutorium.

LECTIO V.

CUm etiam dies S. Leocadiæ feſtus ageretur, & Clerus frequensque populus conveniſſet. Jldephonſus ad Sepulchrū Virginis Leocadiæ accedens,

flexis

flexis ſuppliciter genibus precabatur. Et ecce reſerato repente Sarcophago Leocadia Sanctiſſima prodiit: Videntibus cunctis & audientibus, Jldephonſi merita de Virgine MARIA commendavit, dicens. O Jldephonſe per te vivit Domina mea quæ cœli culmina tenet. Et Præſule collaudato redibat. Jldephonſus ne res tanta ſine teſtibus Poſteris referretur, arrepto Receſvinthi Regis, qui forte tunc aderat, gladiolo, velaminis partem quo Caput Leocadiæ tegebatur reſecuit, eamque cum Regio ſimul cultu celebri pompa in Sacrarium intulit; Ubi usque hodie ſervatur. Scripſit multa luculentiori ſermone, quorum, variis moleſtiarum occupationibus impeditus, aliqua cæpta, aliqua ſemiplena reliquit, Obiit tandem Jldephonſus feliciter ac Sancte cum ſediſſet in Epiſcopatu Annos novem, menſes duos, ſepultusque eſt in Baſilica Leocadiæ. Circa Annũ Domini Sexcenteſimum Septuageſimum Septimum, Receſvintho in Hiſpania regnante. Cujus corpus in Generali à Sarracenis Hiſpaniarum occupatione in Civitatem Zamorenſem translatum eſt; & in Eccleſia Beati Petri honorifice quieſcens magna illius populi religione colitur. ℟. Iſte eſt qui.

In tertio Nocturno, Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi in Evangelium. Vos eſtis Sal terræ. *De Communi Doctorum.*

MARTIUS

S. JOANNIS de DEO Conf. Ordinis Hoſpitalitatis Fundatoris dup. Omnia de Comm. Conf. non Pontif. præter ſeq.

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Joannem tuo amore ſuccenſum inter flammas innoxium incedere feciſti, & per eum Eccleſiam tuam nova prole fæcundâſti:

præſta ipſius ſuffragantibus meritis, ut igne charitatis tuæ, vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum noſtrum, &c.

In I. Noct. Lectiones de libro Eccl. Beatus vir, *de commun: Confeſ: non Pontif: ſecundo loco.*

IN II. NOCT. LECTIO IV.

JOannes de Deo ex Catholicis, piisque Parentibus in oppido montis Majoris Junioris Regni Luſitaniæ natus, quam ſublimiter in ſortem Domini fuerit electus, inſuetus ſplendor ſuper ejus domo refulgens, ſonitusque æris campani ſua ſponte emiſſus, ab ipſo ejus nativitatis tempore non obſcurè prænunciarunt; à laxiori vivendi ratione, Divinâ operante virtute revocatus magnæ ſanctitatis exhibere ſpecimen cæpit, & ob auditã prædicationem verbi Dei, ſic ad meliora ſe excitatum ſenſit, ut jam ab ipſo ſanctioris vitæ rudimento conſummatũ aliquid, perfectumque viſus ſit attigiſſe. Bonis omnibus in pauperes, carceribus incluſos erogatis, admirabilis pænitentiæ, ſuique ipſius contemptûs cuncto populo ſpectaculum factus, à plerisque ceu demens graviter afflictus in carcerem amentibus deſtinatum conijcitur. At Joannes cæleſti charitate magis incenſus, gemino atque amplo valetudinario, ex piorum eleemoſynis in civitate Granatenſi exſtructo, jactoque novi Ordinis fundamento Eccleſiam nova prole fæcundavit Fratrũ Hoſpitalitatis, infirmis præclaro animarum corporumque profectu inſervientiũ, & longè latèque per orbem diffuſorum. Tu autem &c. ℟. Honeſtum fecit.

L E C T I O V.

PAuperibus ægrotis, quos proprijs quandoque humeris domũ deferebat, nulla re ad animæ corporisque ſalutem proficuâ deerat. Effusâ quoque extra Noſocomium charitate indigentibus mulieribus, vi-

viduis, & præcipue Virginibus periclitantibus clàm alimenta ſubminiſtrabat, curamque indefeſſam adhibebat, ut concupiſcentiam à proximis hujusmodi vitio inquinatis, exterminaret. Cùm autem maximum in Regio Granatenſi valetudinario excitatum fuiſſet incendium; Joannes impavidus proſilijt in ignem, huc, illuc diſcurrens, quousque tū infirmos humeris exportatos, tum lectulos è feneſtris projectos ab igne vindicavit, ac per dimidiam horam inter flammas jam in immenſum ſuccreſcentes verſatus exinde divinitùs incolumis, univerſis civibus admirantibus exivit, è ſchola charitatis, edocens ſegniorem in eum fuiſſe ignem, qui foris uſſerat, quàm qui intus accenderat. ℟. Amavit eum.

LECTIO VI.

MUltiplici aſperitatum genere, demiſſiſſimâ obedientiâ, extremâ paupertate, orandi ſtudio, rerum divinarū contemplatione, ac in Beatam Virginem pietate mirificè excelluit, & lacrymarū dono enituit. Denique gravi morbo correptus, omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè ſanctèque refectus viribus licet deſtitutus, proprijs indutus veſtibus è lectulo ſurgens, ac provolutus in genua, manu & corde Chriſtum Dominum è Cruce pendentem perſtringens, Octavo Jdus Martij anno milleſimo quingenteſimo obijt in oſculo Domini, quem etiam mortuus tenuit, nec dimiſit, & in eadem corporis conſtitutione ſex circiter horas, quousque inde dimotus fuiſſet, tota Civitate inſpectante, mirabiliter permanſit, odorem mirè fragrantem diffundens, quem ante & poſt obitum plurimis miraculis clarum Alexander VIII. Maximus, in Sanctorum numerum retulit.

℟. Jſte homo.

In III. Noct. Homilia S. Joannis Chryſoſtomi in Evang. Acceſſerunt ad Jeſum Phariſæi, *ut in Dom: xvii poſt Pent.*

APRILIS

In Festo S. JSIDORI Episcopi & Confessoris.

Duplex minus.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter ea, quæ hic ponuntur propria.

Ad Magnificat in utrisque Vesp. Antiphona.

O Doctor optimè Ecclesiæ Sanctæ lumen, Beate Jsidore, Divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium DEI.

ORATIO.

DEUS, qui populo Tuo æternæ salutis Beatum Jsidorum Ministrum tribuisti: præsta quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum &c.

In primo Nocturno. Lectiones. Sapientiam omniũ antiquorum, *de communi Doctorum.*

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

JSidorus natione Hispanus. Doctor egregius, ex nova Carthagine Severiano Patre Provinciæ Duce natus, à Sanctis Episcopis Leandro Hispalensi, & Fulgentio Carthaginensi Fratribus suis piè, & liberaliter educatus, Latinis, Græcis, & Hebraicis literis, divinisque & humanis legibus instructus, omni scientiarum, atque Christianarum virtutũ genere præstantissimus evasit. Adhuc adolescens hæresim Arianam, quæ gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem jam pridem invaserat, tanta constantia palam oppugnavit, ut parùm abfuerit, quin ab Hæreticis necaretur. Leandro vitâ functo ad Hispalensem Cathedram invitus quidem, sed urgente imprimis Reccaredo Rege, magnoque etiam Cleri, Populique consensu assumitur, ejusque electio-

ctionem S. Gregorius magnus, nedum authoritate Apostolica confirmasse, sed & electũ transmisso de more pallio decorasse, quin etiam suum, & Apostolicæ Sedis in universa Hispania Vicarium constituisse perhibetur. ℟. Inveni &c.

LECTIO V.

IN Episcopatu quantùm fuerit constans, humilis, patiens, misericors, in Christiana, & Ecclesiastica disciplina instauranda sollicitus, eaque verbo, & scriptis stabilienda indefessus, atque omni demũ virtutum ornamento insignitus, nullius lingua narrare sufficeret. Monastici quoque instituti per Hispaniã promotor, & amplificator eximius, plura construxit Monasteria, Collegia itidem ædificavit, ubi studiis sacris, & lectionibus vacans, plurimos discipulos, qui ad eum confluebant, erudivit, quos inter Sancti Jldephonsus Toletanus, & Braulius Cæsar-Augustanus Episcopi emicuerunt. Coacto Hispali Concilio Acephalorum hæresim Hispaniæ jam minitantem acri, & eloquenti dispusatione fregit, atque contrivit. Tantæ apud omnes sanctitatis, & doctrinæ famam adeptus est, ut elapso vix ab ejus obitu sextodecimo anno universa Toletana Synodo duorum supra quinquaginta Episcoporum plaudente, ipsoque etiam S. Jldephonso suffragante, Doctor egregius Catholicæ Ecclesiæ novissimum decus, in sæculorũ fine doctissimus, & cum reverentia nominandus appellari meruerit; cumque S. Brauleio non modo Gregorio Magno comparavit, sed & erudiendæ Hispaniæ loco Jacobi Apostoli cœlitus datum esse censuerit. ℟. Posui adjutorium, &c.

LECTIO VI.

SCripsit Jsidorus libros Ethymologiarum, & de Ecclesiasticis Officijs, aliosq; quam plurimos Christianæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ adeò utiles, ut S.

Leo

Leo Papa IV. ad Episcopos Britanniæ scribere non dubitaverit, sicut Hieronymi, & Augustini, ita Jsidori dicta retinenda esse, ubi contigerit inusitatum negotiũ quòd per Canones minimè definiri possit. Plures etiam ex ejusdem scriptis sententiæ inter Canonicas Ecclesiæ leges relatæ conspiciuntur. Præfuit Concilio Toletano IV. omnium Hispaniæ celeberrimo. Denique cum ab Hispania Arianam hæresim elimināsset, morte sua, & Regni vastatione à Saracenorum armis publicè prænunciata, postquam quadraginta circiter annos suam rexisset Ecclesiã, Hispali migravit in cœlum anno sexcentesimo trigesimo sexto. Ejus corpus inter Leandrum fratrem, & Florentinam sororem, ut ipse mandaverat, primò conditũ, Ferdinandus I. Castellæ, & Legionis Rex ab Eneto Saraceno Hispali dominante magnô pretiô redemptum Legionem transtulit, & in ejus honorem Templũ ædificatũ est, ubi miraculîs clarus, magna populi devotione colitur. ℟. Ist est &c.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundùm Matthæum

LECTIO VII. CAP. V.

IN illo tempore dixit JESUS Discipulis suis. Vos estis sal terræ. Quodsi sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultrà, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. *Et reliqua &c.*

Homilia S. Jsidori Episcopi.

Ex libro 2do. Officiorum ad S. Fulgentium.

C A P. V.

QUi in erudiendis, atque instituendis ad virtutem populis præerit, necesse est ut in omnibus Sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cùm illi statim possit correctus ingerere! ante doce-

doce te, quæ recta ſunt? Primitùs quippè ſemetipſum corrigere debet, qui alios ad benè vivendũ admonere ſtudet, ita ut in omnibus ſemetipſum formã vivendi præbeat, cunctosque ad bonũ opus, & doctrinâ, & opere provocet. Cui etiam ſcientia ſcripturarum neceſſaria eſt. Quia ſi Epiſcopi tantũ Sancta ſit vita? ſibi ſoli prodeſt, ſic vivens. Porrò ſi doctrina &, ſermone fuerit eruditus, poteſt cæteros quoque inſtruere & docere ſuos, & adverſarios repercutere, qui niſi refutati fuerint, atque convicti, facilè poſſunt ſimplicium corda pervertere. ℟. Amavit eum Dominus.

LECTIO VIII.

HUjus ſermo debet eſſe purus, ſimplex, apertus, plenus gravitatis, & honeſtatis, plenus ſuavitatis, & gratiæ, tractans de myſterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de diſciplina juſtitiæ: unũquemq; admonens diverſa exhortatione, juxta profeſſionem, morũque qualitatem, ſcilicet, ut prænoſcat quid, cui, quando, vel quomodo proferat. Cujus præ cæteris ſpeciale Officiũ eſt, ſcripturas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorũ imitari, vigiliis, jejuniis, orationibus incumbere, cum fratribus pacem habere, nec quemquam de membris ſuis diſcerpere, nullum damnare niſi comprobatũ; nullũ excommunicare niſi diſcuſſum. Quique ita humilitate pariter, & authoritate præeſſe debet, ut neque per nimiam humilitatem ſuam ſubditorũ vitia convaleſcere faciat, neque per immoderantiã ſeveritatis poteſtatem exerceat, ſed tantò cautiùs erga commiſſos ſibi, quantò duriùs à Chriſto indagari formidat. ℟. In medio Eccleſiæ aperuit.

LECTIO IX.

TEnebit quoque illã ſupereminentẽ donîs omnibûs charitatẽ, ſinè qua omnis virtus nihil eſt,

Cu-

Custos enim castitatis charitas, locus hujus custodis autem humilitas. Habebit etiã inter hæc omnia castitatis eminentiam; ita ut mens Christo dedita, ab omni inquinamento carnis sit munda, & libera. Inter hæc oportebit cum sollicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas, ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam, providentiã habere distributione discreta. In quo etiam hospitalitas ita erit præcipua, ut omnes cum benignitate, & charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelium audire desiderant, hospes fui, & suscepistis me; quantò magis Episcopus, cujus diversorium cunctorum debet esse receptaculum?

Te Deum laudamus, &c.

Missa. In medio Ecclesiæ *de Communi Doctorum. Et dicitur* Credo.

In Festo S. ADALBERTI *Ep. Mart. P. R. P.*

HYMNI.

Ad Conformem Rythmum Brev. Rom.

Ex Const. URBANI *&* CLEMENTIS VIII.

REDUCTI.

Et à Sac. Rit. Congregat. approbati, ac pro toto Regno Poloniæ & Mag. Duc. Lithvaniæ ad Clerum tam Sæcularem quam Regularem extensi.

IN UTRISQUE VESPERIS.

O Martyr Invictissime
Plus fortibus Fortissime
Quis glorioso cantico
Nomen tuum sat concinat?
Afflatus Almo Numine
Oras adis Pannoniæ

Ibique

Ibique Regem Domgate
Prolemque firmas Chriſmate.
Urbes Poloniæ petis
Veræ Salutis Nuntius
Paſtor Bonus Chriſti fidem
Verbo Dei doces pridem.
Tandem Boruſſis finibus.
Ponis triumpho terminum,
Gentes rebelles inferi
In Te furorem ſuſcitant.
Stant Veritatis invidi
Dum ſacra ad Aram perficis
Fodire Corpus lanceâ,
Manus feroces non pavent.
Hinc ſemivivi corporis
In fruſta membra diſſecant
Caput triumpho gloriæ
Cœlis in haſta ſublevant.
O Victor ergo Nobilis
Dum Te colentes pſallimus.
Tuus triumphalis dies
Imploret Indulgentiam.
E Chriſtianis partibus
Belli timores excute
Pacem precamur impetra
Donum Tui ſit ſangvinis.
Præſta Beata Trinitas
Divina dones Unitas.
Nobis Adalberti preces
Cœli mereri gloriam. Amen.

AD MATUTINUM.

HYmnis canamus Martyrem
Apoſtolumque, Præſulem
Bohemiæ, Poloniæ,
Hungariæ, Boruſſiæ.

Natus

Natus Comes hic Nobilis
Morbo puer preſſus gravi
Voto parentum ſit Deo
Cœlo patens oblatio.
Creſcit pius Vir temperans.
Fit Spiritu plenus Dei
Scriptura Sacra diſcitur
Prius domo non mittitur.
Adit Cathedram Pontifex
Sedens equo, fræno levi
Sancto futuro Præſuli
Soli reclamant inferi.
Denos alebat pauperes.
Humi cubabat langvidus.
Mox excitat ſomnum lapis
Nox dormientem non videt.
Juſtus, pudicus, ſobrius
Formam ferens Antiſtitum
Per ſigna, per miracula
Exempla tradit omnibus.
Chriſtus videtur venditus
Gregem dolet deperditum
Præcepta contemni videt
Gentis ſaluti providet.
Haſtis pio dum Præſuli
Necem parant increduli
Confoſſus Aris vincitur,
Dum vincit, interficitur.
Auri levi ſat pondere
Corpus redemptum venditur,
Gneſnam ſuis reducitur
Paſtor ſalutis redditur.
JESU Redemptor omnium
Dimitte noſtra crimina
Da Martyris per præmia
Æterna nobis gaudia. Amen.

AD LAUDES.

O Chriſte robur Martyrum
Decus, corona, præmium
Firmans Adalbertus fidem
Pro teſte fudit ſangvinem.
Paſtor bonus Chriſti gregis,
Deperditas quærens oves,
In innocenti ſangvine
Pro victima vitam dedit.
Qui tot labores pertulit
Ut ad ſalutis paſcua
Oves reducat perditas
Fideque ſervet creditas.
Nunc efficacem gratiam
Petat ſuis fidelibus
Noſcat gregem ſemper ſuum
Quem protegat, paſcat, regat.
Præſul Bohemis qui prius
Severus, & mitis fuit,
Nunc mitiùs det omnibus.
Cœleſte deſiderium.
Vigiliis, jejuniis
Carnem ſubegit ſpiritu,
Diſcamus & nos ſenſuum
In ſpiritu cuſtodiam.
A vanitate ſæculi
Cor, atque ſenſus liberet
Quæramus ut ſemper Deum
Jeſumque cordis gaudium.
Præſta Beata Trinitas,
Divina dones Unitas,
Nobis Adalberti prece
Cœli mereri gloriam. Amen.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Festum SS. Sepulchri D. N. J. C. Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona.

EXaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus: quoniam sanctum est, Alleluja.

Psalmus. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi. Psalm.* Laudate Dominum.

Antiph. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus, Alleluja.

Antiph. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus, Alleluja.

Antiph. O quàm metuendus est locus iste! verè non est hìc aliud, nisi domus Dei, & porta cœli, Alleluja.

Antiph. Ne appropies huc, solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est, Alleluja.

Capitulum.

CUm consummassent omnia, quæ de ipso scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eũ in monumento.

H Y M N U S.

SAcri Sepulchri gloriam
Christi triumphis inclytam,
Dulci repleti gaudio:
Lætis canamus vocibus.

Hujus vetustis sæculis,
Dedit Cysterna symbolum,
Quo missus olim carcerem,
Joseph habebat innocens.

Hoc quem fidelis fortium,
Ambit caterva militum,
A Rege docto conditus,
Expressit olim lectulus.

Hoc

Hoc & tuus Daniel lacus,
Et quæ ſopore languidum,
Jonam Ratis portaverat,
Hoc in figura nuntiat.
O Petra gemmis carior!
Theſaure cunctis ditior.
Qualem nec aula Principum
Nec gaza claudit divitum.
Nam tu nec auri munera,
Nec Principum fluxas opes,
Sed illum immenſum ſacri
Pretium tuliſti Corporis.
At Chriſte ditas qui tuum
Caro ſepulchrum ſanguine
Tuos (rogamus) ſervulos
Donis tuis fac divites.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis,
Surrexit, ac Paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Tuum ſepulchrum adoramus Domine, Allel.
℟. Et recolimus tuã glorioſam Reſurrectionem, Alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona.

DEponentes Dominum de Cruce, poſuerunt eum in monumento, quod erat exciſum in petra, in quo nondum quisquam poſitus fuerat, Allel.

O R A T I O.

DOmine JESU Chriſte, qui pro nobis mortem ſubire, & in ſepulchro depoſitus, tertia die reſurgere voluiſti, concede famulis tuis: ut qui ſepulchri tui memoriam recolimus, reſurrectionis quoque gloriæ participes eſſe mereamur. Qui vivis & regnas,

Ad Matutinum, Invitatorium.

Surrexit Dominus de Sepulchro, * Alleluja.

Psalm. Venite, exultemus.

Antiph. En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, Alleluja.

Psalmi ut in Festo Dedicationis Ecclesiæ sub una Antiphona.

℣. Ipsum gentes deprecabuntur, Alleluja.

℟. Et erit Sepulchrum ejus gloriosum, Allel.

Pater noster.

Absolutio. Exaudi Domine.

De Actibus Apostolorum.

LECTIO I. CAP. 13.

VIri fratres, filii generis Abraham & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem, & Principes ejus, hunc ignorantes, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, & nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummassent omnia, quæ de ipso scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Deus verò suscitavit eum à mortuis tertia die: qui visus est per multos dies, his, qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Jerusalem: qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

℟. Deponentes Dominum de Cruce, posuerunt eum in monumento, quod erat excisum de petra, Alleluja.

* Signantes illud cum Custodibus, Alleluja.

℣. Abeuntes Judæi munierunt sepulchrum, ad volventes lapidem ad ostium monumenti. Signantes illud.

LE-

LECTIO II.

ET nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniã hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut, & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitavit eum à mortuis, amplius jam non reversurũ in corruptionem, ita dixit: quia dabo vobis Sancta David fidelia. Ideoque, & alias dicit: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione cum administrasset, voluntati Dei dormivit, & appositus est ad Patres suos, & vidit corruptionem. Quem verò Deus suscitavit à mortuis, non vidit corruptionem.

℟. Sepulto Domino signatum est monumentum, volventes lapidem ad ostium monumenti, Alleluja. * Ponentes milites, qui custodirent illud.

℣. Accedentes Principes Sacerdotum ad Pilatũ, petierunt illum. Ponentes.

LECTIO III.

NOtum igitur sit vobis Viri fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur. Videte ergo ne superveniat vobis, quod dictum est in Prophetis. Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini, quia opus ego operor in diebus vestris: opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis. Exeuntibus autem illis, rogabant, ut sequenti Sabbato, loquerentur sibi verba hæc. Cùmque dimissa esset Synagoga, secuti sunt multi Judæorum & colentium advenarum Paulum & Barnabam, qui loquentes suadebant eis, ut permanerent in gratia Dei: Sequenti verò Sabbato penè universa Civitas convenit audire verbum Dei.

℟. Acceperunt Corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, & ſepelierunt in monumento novo. * In quo nondum quiſquam poſitus fuerat, Alleluja.

℣. Venit Joſeph cum Nicodemo, & tulerunt Corpus Jeſu, & ſepelierunt illud in monumento novo. In quo. Gloria Patri. In quo.

In ſecundo Nocturno, Antiphona.

Super muros tuos Jeruſalem conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt, laudare nomen Domini, Alleluja.

Pſalmi ut in Feſto Dedicationis.

℣. Factus eſt in pace locus ejus, Alleluja.

℟. Et habitatio ejus in Sion, Alleluja.

Pater noſter.

Abſolutio. Ipſius pietas, &c.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Sepulchro.

LECTIO IV. CAP. 11.

INter Sancta & deſiderabilia loca, Sepulchrum Chriſti tenet quodammodo principatum, & devotionis plus neſcio quid ſentitur; ubi mortuus requievit, quàm ubi vivens conſervatus eſt, atque amplius movet ad pietatem, mortis quam vitæ recordatio, puto quod illa auſterior, hæc dulcior videatur, magiſque infirmitati blandiatur humanæ quies dormitionis, quam labor converſationis, mortis ſecuritas, quàm vitæ rectitudo. Vita Chriſti, vivendi mihi regula extitit: mors à morte redemptio, illa vitam inſtruxit, mortem iſta deſtruxit: vita quidem laborioſa, ſed mors pretioſa, utraque verò admodum neceſſaria. Quid enim Chriſti prodeſſe poterat, ſive mors nequiter viventi, ſive vita damnabiliter morienti? Nunquid denique aut mors Chriſti, etiam nunc malè uſque ad mortem viven-

tes

tes à morte æterna liberat, aut mortuos ante Christum Sanctos Patres vitæ sanctitas liberavit? Sicut scriptum est: Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? Nunc ergo, quia utrumque nobis pariter necessarium erat, & piè vivere, & securè mori: & vivendo vivere docuit, & mortem moriendo securam reddidit: quoniã quidem resurrecturus occubuit, & spem fecit morientibus resurgendi.

℟. Mulieres venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverunt aromata. * Et invenerunt lapidem revolutum à monumento, Alleluja. ℣. Et factũ est, dum mente consternatæ essent, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Et invenerunt.

L E C T I O V.

SIve itaque hæc, sive alia quæcunque in hunc modum (prout in talibus in suo quisque abundat sensu,) ex occasione Sepulchri Christianis sensibus suggerantur, puto quod non mediocris dulcedo devotionis infundatur cominus intuenti, nec parum proficitur, cernendo, etiã corporalibus oculis corporalem locũ Dominicæ quietis. Et si quippe jam vacuum sacris membris, plenum tamen nostris & jucundis admodum Sacramentis. Nostris, inquam nostris, si tamen tam ardenter amplectimur, quàm indubitanter tenemus, quod Apostolus ait: Consepulti sumus enim per Baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul, & Resurrectionis erimus.

℟. Angelus Domini locutus est mulieribus, dicens: Quem quæritis? An Jesum quæritis? jam surrexit. * Venite, & videte locum, Alleluja.

 ℣. Je-

℣. Jeſum quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit non eſt hic. Venite.

LECTIO VI.

QUàm dulce eſt peregrinis, poſt multam longi itineris fatigationem, poſt plurima terræ, marisque pericula, ibi tandem quiescere, ubi & agnoſcunt ſuum Dominũ quieviſſe? Puto jam præ gaudio non ſentiunt vitæ laborem, nec gravamen reputant expenſarũ, ſed tamquam laboris præmiũ, cursusve bravium aſſecuti, juxta ſcripturæ ſententiam gaudent vehementer, cùm invenerint ſepulchrum. Nec caſu, vel ſubito, aut veluti lubrica popularis favoris opinione, id tam celebre nomen Sepulchrum natum eſſe putetur, cum hoc ipſum tantis retro temporibus Jſaias tam apertè prædixit. Et erit, inquit, die illa radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum ejus glorioſum. Revera ergo impletum cernimus, quod legimus prophetatum; novum quidem intuenti, ſed legenti antiquum: ut ſic adſit de novitate jucunditas, & de vetuſtate non deſit auctoritas.

℟. Dum tranſiret Sabbatum, Maria Magdalene, Maria Jacobi, & Salome, emerunt aromata. * Ut venientes ungerent Jeſum, Alleluja.

℣. Et valde mane una Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam ſole. Ut venientes.

Gloria Patri. Ut venientes.

In Tertio Nocturno, Antiphona.

Et thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis, Alleluja.

Pſalmi ut in feſto Dedicationis.

℣. Erit mihi Dominus in Deum, Alleluja.

℟. Et lapis iſte vocabitur domus Dei, Allel.

Lectio

Lectio Sancti Evangelii Secundùm Lucam.

LECTIO VII. CAP. 24.

IN illo tempore: Una Sabbati valdè diluculo, venerunt mulieres ad monumentum, portantes, quæ paraverunt aromata. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Sabbato in vigilia Paschæ de Joseph. Serm. 50.

CUm Maria Magdalene venisset ad monumentū, quam memorem Salvatoris, amissa fide, devotio in lachrymas compellebat, videns revolutum à foribus lapidem, cùm non invenisset in Sepulchro Dominum, cœpit acriùs dolere, quòd perdiderit defunctum, mox autem ad Petrum ejus discipulum pervolat, quem pro meriti qualitate vel fidei, major de ejus obitu cura tangebat, nuntiat inane Sepulchrum, quæritur corpus ablatum. Petrus verò Resurrectionis Filii Dei, & ante Crucem conscius, quam prædixerat ipse passurus, sub tali Nuntio, non flevit aut doluit, sed morem suum in divinis virtutibus servans, properat experiri, quod credidit.

℟. Tulerunt Dominum meum, & nescio, ubi posuerunt eum. Dicunt ei Angeli: Mulier, quid ploras? surrexit sicut dixit: * Præcedet vos in Galilæam: ibi eum videbitis, Alleluja.

℣. Cùm ergo fleret, inclinavit se, & vidit duos Angelos in albis sedentes, qui dicunt ei. Præcedet vos.

LECTIO VIII.

AD Sepulchrum itaque Domini, celeri cursu festinat, lætior rediturus, si non inveniret, quod quærebat. Beatus autem Evangelista, & ex consequentibus probat potentiam resurgentis. Venit, inquit, Simon Petrus, & introivit in monumentum, & cùm non invenisset Dominum, vidit linteamina

posita, & sudarium, quod fuerat super caput ejus: nam manifestiùs Deus perlaturus quem vivificaverat in cœlum, & mortem evacuat & Sepulchrum. Nam linteamine quo funus tenebatur exposito, reliquit terræ exuvias, vitali jam corpore induta majestas.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia quem quærebam, apparuit mihi. * Et dum flerem ad monumentum, vidi Dóminũ, Allel.

℣. Recedentibus discipulis, non recedebam, & amoris ejus igne succensa, ardebam desiderio. Et dum flerem. Gloria Patri. Et dum flerem.

Lectio IX. de Homilia Dominicæ Secundæ post Pascha.

A D L A U D E S.

& per Horas Antiphona.

VOta mea Domino reddam, in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem, Alleluja.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Ingredieris in abundantia Sepulchrum, sicut infertur acervus tritici in tempore suo, Allel.

Ant. Qui exspectant mortem & non venit, quasi, effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cùm invenerint Sepulchrum, Alleluja.

Ant. Tollite hostias, & introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio Sancto ejus, Alleluja.

Ant. In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquã sponsus, procedens de thalamo suo, Allel.

Capitulum. Cùm consummassent, *ut in primis Vesperis.*

H Y M N U S.

AUdite tristes inferi,
Turbæ frementes hostium,

Vestræ

Veſtræ ruinæ nuntium,
Sacri Sepulchri gloriam.
En jam futuri conſcius,
Illum Propheta præcinit,
Et glorioſum poſteris,
Narrat ſepulchrum ſæculis.
Sic ille Rex fortiſſimus,
Fractis averni viribus,
Et mortis excuſſo jugo,
Primum trophæa ſuſcitat.
Candore tectus veſtium,
Novoque lucis fulgore,
Delapſus aſtris Nuntius,
Hic excubavit Angelus.
Jam temperandum lachrymis,
Satis datum ſuſpiriis,
Gravi dolore ſauciæ,
Hic audierunt fæminæ.
Et vos Magiſtri funere,
Plane ſimul commortui,
Veſtro dolori gaudium,
Tuliſtis hic Apoſtoli.
Tu verò Chriſte maxima
Tui ſepulchri gloria,
Mortem reſurgens viceras,
Nos morte culpæ libera.
Deo Patri ſit gloria,
Et Filio, qui à mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

℣. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, Alleluja.
℟. Nardus mea dedit odorem ſuavitatis, Allel.

Ad Benedictus, Antiphona.

Abeuntes Judæi munierunt Sepulchrum, advolventes lapidem ad oſtium monumenti & ſignantes eum cum cuſtodibus, Allel. *Ora-*

Oratio ut in primis Vesperis.

Ad Primam Antiphona ex Laud.

In ℟. *brevi dicitur.* ℣. Qui surrexisti à mortuis, Alleluja, Alleluja.

Ad Absolutionem Capituli, Lectio brevis. Una Sabbati, &c. *ut infra ad Nonam.*

Ad Tertiam Antiphona.

Ingredieris.

Capitulum. Cùm consummassent, *ut in primis Vesperis.*

℟. *breve.* Tuum sepulchrum adoramus Domine. * Alleluja, Alleluja. Tuum Sepulchrum.

℣. Et recolimus tuam gloriosam Resurrectionem, Alleluja, Allel. Gloria Patri. Tuum Sepulchrum.

℣. Vere locus iste Sanctus est, Alleluja.

℟. Et ego nesciebam, Alleluja.

Ad Sextam, Antiphona.

Qui exspectant mortem.

Capitulum.

ET accepto corpore Joseph, involvit illud in Sindone munda, & posuit in monumento suo novo, quod exciderat in petra.

℟. *br.* Verè locus iste Sanctus est, * Alleluja, Alleluja. Verè locus.

℣. Et ego nesciebam, Alleluja, Alleluja.

Gloria Patri. Verè locus.

℣. Te decet hymnus Deus in Sion, Alleluja.

℟. Et tibi reddetur votum in Jerusalem, Allel.

Ad Nonam, Antiphona.

In sole posuit.

Capitulum.

UNa Sabbati valdè diluculo venerunt mulieres ad monumentum, portantes, quæ paraverant aromata: & invenerunt lapidem revolutum à monumento.

℟. *bre-*

℟. *breve.* Te decet hymnus Deus in Sion, * Alleluia, Alleluia. Te decet.

℣. Et tibi reddetur votum in Jerusalem. Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Te decet.

℣. Lapidem quem reprobaverunt, Alleluja.

℟. Hic factus est in caput anguli, Allel.

Ad Vesperas Ant. ut in 1. *Vesp. Psalmi de Dominica, & loco utilimi Psalm.* Super flumina Babylonis, *ut Feria* 5. *ad Vesperas.*

Capitulum & Hymnus ut in primis Vesperis.

℣. Ipsum gentes deprecabuntur, Alleluja.

℟. Et erit Sepulchrum ejus gloriosum, Allel.

Ad Magnificat, Antiphona.

Introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentum à dextris, coopertum stolâ candida, & obstupuerunt, Alleluja.

Oratio ut supra.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Festum Patrocinii S. JOSEPH. *Dupl. II. Class.*

Ad Vesperas, Antiphona.

Jacob autem, *cum reliq. de Laudibus. Psalmus.* Dixit Dominus, *cum rel. de Dominica & loco ultimi. Psalm.* Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Gen. 46. *v.* 26.

BEnedictiones Patris tui confortatæ sunt benedictionibus Patrum ejus; donec veniret desideriũ collium æternorum: Fiant in capite Joseph, & in verticem Nazarei inter fratres suos.

Hymnus. Te Joseph, celebrent agmina Cœlitum &c. *ut in ejus Festo* 19. *Martii.*

℣. Constituit eum Dominum domus suæ, Allel.

℟. Et principem omnis possessionis suæ, Allel.

Ad Magnificat, Antiphona.

Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, Alleluia.

O R A T I O.

DEus, qui ineffabili providentia, Beatum Joseph Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsum eligere dignatus es: præsta quæsumus; ut quem protectorem veneramur ut terris, incercessorem habere mereamur in cœlis. Qui vivis.

Et sit commem. Dominicæ.

Ad Matutinum, Antiphona.

Laudemus Deum nostrum: * In veneratione B. Joseph Protectoris nostri, Alleluia.

Hymnus. Te Joseph celebrent agmina Cœlitum. *Sicut in primis Vesp.*

In primo Nocturno Antiphona.

Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge, & accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi, usque dum dicam tibi, Alleluja.

Psalmi primi Nocturni de Communi Conf. non Pontif.

℣. Confitebor nomini tuo, Alleluja.

℟. Quoniam adjutor, & Protector factus es mihi, Alleluja.

De libro Genesis.

LECTIO I. CAP. 39. v. 1.

IGitur Joseph ductus est in Ægyptū, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis Princeps exercitus, vir Ægyptius de manu Jsmaelitarum, à quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens, habitavitque in domo domini sui, qui optime noverat Dominum esse cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu il-

lius. Invenitque Joſeph gratiam corã domino ſuo, & miniſtrabat ei, à quo præpoſitus omnibus, gubernabat creditam ſibi domũ, & univerſa, quæ ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joſeph, & multiplicavit tã in ædibus, quam in agris cunctam ejus ſubſtantiam: nec quidquam aliud noverat, niſi panem, quo veſcebatur. Erat autem Joſeph pulchra facie, & decorus aſpectu.

℟. Clamavit populus ad Regem alimenta petens: * Quibus ille reſpondit: ite ad Joſeph, Alleluja.

℣. Salus noſtra in manu tua eſt; reſpice nos tantùm & læti ſerviemus Regi. Quibus ille.

LECTIO II. Gen. 41. v. 37.

PLacuit Pharaoni conſilium, & cunctis miniſtris ejus; locutusque eſt ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit? dixit ergo ad Joſeph; quia oſtendit tibi Deus omnia, quæ locutus es; nunquid ſapientiorem, & conſimilẽ tui invenire potero? Tu eris ſuper domũ meã, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm Regni ſolio te præcedam. Dixitque rurſus Pharao àd Joſeph, ecce conſtitui te ſuper universã terrã Ægypti. Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu ejus: veſtivitque eum ſtola byſſina, & collò torquem auream circumpoſuit. Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante Præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent univerſæ terræ Ægypti.

℟. Fecit me Deus quaſi Patrem Regis, Dominũ univerſæ domus ejus: * Exaltavit me, ut ſalvos faceret multos populos, Alleluja.

℣. Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullã terræ. Exaltavit &c.

LECTIO III. Gen. c. 14. v. 44.

DIxit quoque Rex ad Joſeph: Ego ſum Pharao: abs-

absque tuo Imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti: vertitque nomen ejus, & vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aſeneth filiam Putiphari Sacerdotis Heliopoleos. Egreſſus eſt itaque Joſeph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando ſtetit in conſpectu Regis Pharaonis) & circuivit omnes regiones Ægypti. Venitque fertilitas ſeptem annorum, & in manipulos redactæ ſegetes congregatæ ſunt in horrea Ægypti. Omnis etiã frugum abundantia in ſingulis urbibus condita eſt. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet.

℟. Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo. Non ſum fraudatus aſpectu tuo: * Inſuper oſtendit mihi Dominus ſemen tuum. Alleluja.

℣. Qui paſcit me ab adoleſcentia mea, benedicat pueris iſtis; & invocetur ſuper eos nomen meum. Inſuper. Gloria Patri. Inſuper.

In ſecundo Nocturno, Antiphona.

Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens: Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & vade in terram Jſrael, defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri, Alleluja.

Pſalmi ſecundi Nocturni de Communi Confeſſ. non Pontif.

℟. Reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam, Alleluja.

℟. Et perfice eam, Alleluja.

Sermo Sancti Bernardini Senenſis.

Serm. primo de S. Joſeph. In proœmio.

LECTIO IV.

OMnium ſingularium gratiarum alicui, rationabili creaturæ communicatarum, generalis regula

gula eſt; quod quandocumque divina gratia elegit aliquem ad aliquam gratiã ſingularem, ſeu ad aliquem ſublimen ſtatum, omnia charismata donet, quæ illi perſonæ ſic electæ, & ejus officio neceſſaria ſunt, atque illam copiosè decorant. Quod maximè verificatum eſt in Sancto Joſeph, putativo Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti, & vero Sponſo Reginæ mundi, & Dominæ Angelorum, qui ab æterno Patre electus eſt fidelis Nutritius, atque cuſtos principalium theſaurorũ ſuorum, ſcilicet Filii ejus, & Sponſæ ſuæ, quod officium fideliſſimè proſecutus eſt; cui propterea Dominus ait: Serve bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui.

℟. Dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, & dextera tua ſuſcepit me: * Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus, Alleluja.

℣. Ego Protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Protector.

ART. 2. CAP. 3. LECTIO V.

SI compares eum ad totam Eccleſiam Chriſti: Nonne iſte eſt homo electus, & ſpecialis, per quem, & ſub quo Chriſtus eſt ordinatè, & honeſtè introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Eccleſia Sancta debitrix eſt, quia per eam Chriſtum ſuſcipere digna facta eſt: Sic profectò poſt eam huic debet gratiã, & reverentiam ſingularem. Ipſe enim eſt clavis veteris Teſtamenti, in qua Patriarchalis, & Prophetalis dignitas promiſſum conſequitur fructum. Porrò hic eſt ſolus, qui corporaliter poſſedit, quod eis divina dignatio repromiſit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcha Joſeph, qui populis frumenta ſervavit. Sed & hic illum præcellit, quia non ſolùm Ægyptiis panem corporalis vitæ, ſed omnibus electis panem de cœlo, qui cœleſtem vitam tribuit, cum multa ſolertia enutrivit.

℟. Statuet filios suos sub tegmine illius, & sub ramis ejus morabitur; protegetur sub tegmine illius à fervore: * Et in gloria ejus requiscet, Alleluja.

℣. Sperate in eo omnis Congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Et in gloria.

ART. 5. LECTIO VI.

PRofecto dubitandum non est, quod Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimã dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tamquam filius patri suo, in cœlis utique non negavit, quin potiùs complevit, & consummavit. Unde non immerito in verbo proposito à Domino subinfertur: Intra in gaudium Domini tui. Unde licet gaudium æternæ beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: Intra in gaudium; Ut mystice innuatur, quod gaudium illud non solùm in eo sit intra, sed undique illũ circumdans, & absorbens, & ipsum velut abyssus infinita submergens. Memento igitur nostri B. Joseph, & tuæ orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede, sed & beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quæ mater est ejus; qui cum Patre, Spiritu Sancto vivit, & regnat per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℟. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: * Si exurgat adversum me præliũ, in hoc ego sperabo, Alleluja.

℣. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor. Si exurgat. Gloria Patri. Si exurgat.

In tertio Nocturno, Antiphona.

Consurgens Joseph accepit puerum, & matrem ejus, & venit in terram Jsrael; & habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth, Alleluja.

Psalmi ut in Communi Confess. non Pontif.

℣. Inveni Dominũ Patrem Domini mei, Allel.

℟. Ut non derelinquat me in die tribulationis, Alleluja.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

LECTIO VII. CAP. 3.

IN illo tempore: Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, & Jesu baptizato, & orante, apertum est cœlum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Libro 2. de Consens. Evangel.

CAP. I. & III.

MAnifestum est illud, quod ait: ut putabatur filius Joseph, propter illos dixisse, qui cum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet, quod alios progenitores Matthæus enumerat descendens à David usque ad Joseph, alios autem Lucas ascendens à Joseph usque ad David; facilè est, ut advertant, duos Patres habere potuisse Joseph; unum à quo genitus, alterum à quo fuerit adoptatus, antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent, quos non ipsi genuissent. Unde intelligitur Lucas patrem Joseph, non à quo genitus, sed à quo fuerat adoptatus, suscepisse in Evangelio suo, cujus progenitores sursum versus commemorat, donec exiret ad David.

℟. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est: pariet autē filium:* Et vocabis nomen ejus Jesum, Alleluja.

℣. Ipse enim salvum faciet populum à peccatis eorum. Et vocabis.

LECTIO VIII.

CUm enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, Matthæo scilicet, & Luca, ut unus eorum ejus patris originem teneret, qui genuerat, alter

alter ejus qui adoptaverat Joſeph ; quem probabilius intelligimus adoptantis originē tenuiſſe, quàm eum, qui noluit Joſeph genitū dicere ab illo, cujus eum filium eſſe narrabat? Matthæus autem dicens, Abraham genuit Jſaac, Jſaac genuit Jacob: atque ita in hoc verbo, quod eſt genuit perſeverans, donec in ultimo diceret, Jacob autem genuit Joſeph: ſatis expreſſit ad eum patrem perduxiſſe originem generantium, à quo Joſeph non adoptatus, ſed genitus erat. Quamquam ſi etiam Lucas genitum diceret Joſeph ab Heli, nec ſic nos hoc verbū perturbare deberet, ut aliud crederemus, quàm ab uno Evangeliſta gignentem, ab altero adoptantem patrem fuiſſe commemoratū. Neque enim absurdè quisque dicitur non carne, ſed charitate genuiſſe, quem filium ſibi adoptaverit. At verò etiā nos, quibus dedit Deus poteſtatem filios ejus fieri, de natura atque ſubſtantia ſua non nos genuit, ſicut, unicū Filiū; ſed utique dilectione adoptavit.

℟. Surge, & accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum: * Et eſto ibi usque dum dicam tibi, Alleluja.

℣. Ut adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem: Ex Ægypto vocavi filiū meum. Et eſto. Gloria Patri. Et eſto.

Nona Lectio dicitur de Homilia Dominicæ tertiæ.

AD LAUDES.

& per Horas, Antiphonæ.

JAcob autem genuit Joſeph, virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus, Alleluja.

Pſalmus. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph, Allel.

An

Ant. Aſcendit autem Joſeph, à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, Alleluja.

Ant. Et venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio, Alleluja, Alleluja.

Ant. Et ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph, Alleluja.

Capitulum. Gen. 49. v. 26.

BEnedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus; donec veniret deſideriũ collium æternorum: fiant in capite Joſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos.

H Y M N U S.

CÆlitum Joſeph decus, atque noſtræ, &c: *ut in ejus Feſto 19. Martii.*

℣. Dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ, Allel.

℟. Et dextera tua ſuſcepit me, Allel.

Ad Benedictus, Antiphona.

Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt, Alleluja.

O R A T I O.

DEus, qui ineffabili providentia, Beatum Joſeph ſanctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſum eligere dignatus es: præſta quæſumus; ut quem Protectorem veneramur in terris, Interceſſorem habere mereamur in cœlis. Qui vivis, & regnas,

Et fit commem: Dominicæ.

Ad Tertiam, Antiphona.

Miſſus eſt.

Capitulum. Benedictiones patris tui, &c.

℟. *br.* Conſtituit eum Dominum domus ſuæ: * Alleluja, Alleluja. Conſtituit eum.

℣. Et principem omnis poſſeſſionis ſuæ. All. All.

Gloria Patri. Conſtituit.

℣. Confitebor nomini tuo, Alleluja.

℟. Quoniam adjutor, & protector factus es mihi, Alleluja.

Ad Sextam, Antiphona.

Aſcendit autem.

Capitulum. Gen: 49. v. 25.

DEus Patris tui erit adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper.

℟. *br.* Confitebor nomini tuo: * Alleluja, Alleluja. Confitebor.

℣. Quoniam adjutor, & protector factus es mihi, Allel. Allel. Gloria Patri. Confitebor.

℣. Juſtus germinabit ſicut lilium, Allel.

℟. Et florebit in æternum ante Dominũ, Allel.

Ad Nonam, Antiphona.

Et ipſe Jeſus.

Capitulum. Gen. 49. v. 22.

FIlius accreſcens Joſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu; Filiæ diſcurrerunt ſuper murum.

℟. *br.* Juſtus germinabit ſicut lilium: * Allel. Allel. Juſtus germinabit.

℣. Et florebit in æternum ante Dominum. Alleluja, Allel. Gloria Patri. Juſtus.

℣. Plantatus in domo Domini, Allel.

℟. In atriis domus Dei noſtri, Allel.

In ſecundis Veſperis omnia ut in primis, exceptis ſequentibus.

℣. Sub umbra illius quem deſideraveram ſedi, Alleluja.

℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo, Allel.

Ad Magnificat, Antiphona.

Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te, Alleluja.

DOMI-

MAJUS

DOMINICA II.

In Festo Gratiarum Beatæ MARIÆ Virginis.

Duplex 1. Classis cum Octava.

Ad Vesperas Antiphona.

Dum esset Rex: *cum reliquis Antiphonis & Psalmis ut in Officio parvo B. V. MARIÆ.*

Capitulum.

Ab initio & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione Sancta coram ipse ministravi.

Hymnus. Ave maris stella &c.

℣. Dignare me laudare te Virgo Sacrata, Alleluja.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos, Alle.

Ad Magnificat Antiphona.

SAncta MARIA, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo sexu, sentiant omnes tuũ juvanem, quicumque celebrant tuam Sanctam festivitatem, Alleluja.

ORATIO.

COncede nos famulos tuos, quæsumus Domine DEUS, perpetua mentis & corporis sanitate gaudere; & gloriosâ Beatæ MARIÆ semper Virginis intercessione, à præsenti liberari tristitia, & æterna perfrui lætitia. Per Dominum, &c.

Deinde fit Commemoratio. Dominicæ.

Ad Matutinum; Invitatorium.

Sancta MARIA Dei Genetrix Virgo, * Intercede pro nobis, Alleluja.

Psal. Venite exultemus, &c.

Hymnus. Quem terra, pontus, sidera, &c.

In primo Nocturno.

Antiphona. Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui, Alleluja.

Psalmi ut in Officio parvo B. M. V. sub una idque prima Antiphona supra expressa.

℣. Specie tua & pulchritudine tua, Alleluja.

℟. Intende, prospere procede, & regna, Allel.

Pater noster.

Absolutio. Exaudi Domine.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Benedictione perpetua.

De Parabolis Salomonis.

L E C T I O I.

EGo sapientia habito in consilio, & eruditis intersũ cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, & superbiam & viam pravam, & os bilingve detestor. Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo; Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, invenient me.

℟. Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cæli capere non poterant tuo gremio contulisti, Alleluja.

℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia.

L E C T I O II.

MEcum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ, & justitia. Melior est enim fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo. Jn viis justitiæ ambulo in medio semitarum judicii, ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleã. Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno

ordi-

ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole conſtiterant: ante colles ego parturiebar.

℟. Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum quia cum eſſem parvula, placui Altiſſimo: * Et de meis viſceribus genui Deum & hominem, Alleluja.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem reſpexit Deus. Et de meis.

L E C T I O III.

BEatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino: qui autem in me peccaverit lædet animam ſuam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia ædificavit ſibi domũ, excidit columnas ſeptem. Immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem, & ad mænia civitatis: Si quis eſt parvulus veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis.

℟. Beata es Virgo Maria, quæ Dominum portaſti Creatorem mundi: * Genuiſti qui te fecit, & in æternum permanes Virgo, Alleluja.

℟. Ave Maria gratia plena: Dominus tecum. Genuiſti. Gloria Patri. Genuiſti.

In ſecundo Nocturno.

Antiph. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna, Alleluja.

Pſalmi ut in Officio parvo, ſub hac una Antiph.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu ſuo, Alleluja.

℟. Deus in medio ejus, non commovebitur, All.

Pater Noster.

Absolutio. Jpsius pietas & misericordia.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Deus Pater Omnipotens.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Sermone 18. de Sanctis.

L E C T I O IV.

EXultat MARIA, & matrem se læta miratur, & de spiritu Sancto se peperisse gaudet: nec quia peperit innupta, terretur; sed quia genuerit, cum exultatione miratur. O fæmina super fæminas benedicta, quæ virum omnino non novit, & virum sub utero circumdedit? Circumdat virum MARIA Angelo fidem dando, quia Eva perdidit virum, serpenti consentiendo. O felix obedientia, o insignis gratia! quæ dum fidem humiliter dedit, cæli in se opificem corporavit. Hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum hausit. Ecce ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℟. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, & sicut Cypressus in monte sion: quasi myrrha electa: * Dedi suavitatem odoris, Alleluja.

℣. Et sicut Cinnamomum & balsamum aromatizans. Dedi suavitatem.

L E C T I O V.

O Beata MARIA, quis tibi dignè valeat jura gratiarum, ac laudũ præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi predito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditũ invenit? Accipe itaque quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones; & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis.

℟. Quæ

℟. Quæ eſt iſta quæ proceſſit ſicut ſol, & formaſa tanquam Jeruſalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ laudaverunt eam, Alleluja.

℣. Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium. Viderunt eam.

LECTIO VI.

Sit per te excuſabile quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poſcimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus, quia tu es unica ſpes peccatorum. Per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum. Sancta MARIA ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo ſexu, ſentiant tuum juvamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Feſtivitatem.

℟. Ornatam monilibus filiam Jeruſalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiæ Sion beatiſſimam prædicaverunt dicentes: Ungventum effuſum nomen tuum, Alleluja.

℣. Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes.

Gloria Patri. Ungventum effuſum.

In Tertio Nocturno.

Antiph. Gaude MARIA Virgo, cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo, Alleluja.

Pſalmi ut in officio parvo, ſub hac una Antiph.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam, Allel.

℟. In tabernaculo ſuo habitare facit eam, Alle.

Pater noſter.

Abſolutio. A vinculis peccatorum.

℣. Jube domne benedicere.

Benedictio. Evangelica lectio.

Lectio

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

L E C T I O VII.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph, de Domo David, & nomen Virginis MARIA. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi.

Sermone 142. de Annuntiat.

AUdistis hodie fratres charissimi, Angelum cum muliere de hominis reparatione tractantem. Audistis agi, ut homo cursibus eisdem, quibus dilapsus fuerat ad mortem, rediret ad vitam. Agit, agit cum MARIA Angelus de salute, quia cum Heva Angelus egerat de ruina. Audistis Angelum de carnis nostræ limo Templum Divinæ Majestatis arte ineffabili construentem. Audistis in terris Deum, in cœlis hominem Sacramento incomprehensibili collocari. Audistis inaudita ratione in uno corpore Deum hominemque misceri. Audistis fragilem nostræ carnis naturam ad portandam totã Deitatis gloriam Angelica exhortatione roborari.

℟. Felix namque es sacra Virgo MARIA & omni laude dignissima. * Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster, Alleluja.

℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam Sanctam Festivitatem. Quia ex te.

L E C T I O VIII.

DEnique ne tanto ponderi cælestis fabricæ in MARIA subtilis nostri corporis arena succumberet, & in Virgine totius generis humani portatura fructum, virga tenuis frangeretur, fugatura metũ vox Angeli mox præcessit, dicens: Ne timeas MARIA.

Antè

Ante causam dignitas Virginis annuntiatur ex Nomine, nam MARIA Hebræo sermone, latine Domina nuncupatur. Vocat ergo Angelus Dominam, ut Dominatoris Genitricem trepidatio deserat servitutis, quam nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetravit auctoritas. Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiã. Verum est, quia qui invenit gratiã, nescit timere: Jnvenisti gratiã.

℟. Beatã me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & Sanctum nomen ejus, Alleluja.

℣. Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit.

Gloria Patri. Quia fecit.

LECTIO IX. De Homilia Dominicæ.

AD LAUDES

& per Horas Antiphonæ.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis, Alleluja.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de laudibus Dominicæ.*

Antiph. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me, Alleluja.

Antiph. Nigra sum, sed formosa filiæ Jerusalem: ideo dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum suum, Alleluja.

Antiph. Jam hyems transiit, imber abiit, & recessit: surge amica mea, & veni, Alleluja.

Antiph. Speciosa facta es, & suavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix, Alleluja.

Capitulum. Ab initio &c.

Hymnus. O gloriosa Virginum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, Allel.

℟. Propterea benedixit te DEUS in æternum, Allel.

Ad Benedictus Antiphona.

Beata es MARIA quæ credidisti: perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino, Alleluia.

O R A T I O.

Concede nos famulos tuos, *ut in Vesperis.*

Deinde fit Commemoratio Dominicæ.

Ad Horas, Antiph. Capitula, & ℟℟. brevia: *ut in Officio B. Mariæ in Sabbato.*

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

℣. Dignare me laudare te Virgo Sacrata, All.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos, Allel.

Ad Magnificat Antiphona.

Beatam me dicent omnes generationes quia ancillam humilem respexit Deus, Alleluja.

O R A T I O.

Concede nos famulos tuos, *ut supra.*

MISSA PROPRIA.

IN OCTAVA EJUSDEM FESTI.

Omnia ut in Festo præter Lectiones.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lectiones de scriptura occurente.

IN SECUNDO NOCTURNO.

L E C T I O IV.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Sermone in cap. 12. Apocal.

NOvum fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum, nec alium quam Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in cœlo, ut mulier sole appareret amicta. Denique & coronavit eum, & vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater sua. Verum hoc aliàs. Interim sanè ingredimini magis, & videte Reginam in diadema-

demate, quo coronavit eam Filius suus. In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim.

℟. Sicut cedrus, *ut in festo.*

LECTIO V.

DIgnum plane stellis coronari caput, & ipsis longè clariùs micans ornet eas potius, quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum & lilia convallium. Nimirum læva sponsi sub capite ejus, & jam dextera illius amplexatur eam. Quis illas æstimet gemmas? quis stellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum est.

℟. Quæ est ista, *ut in festo.*

LECTIO VI.

QUid ergo sidereum micat in generatione Mariæ? Planè quod ex regibus ornata, quod ex semine Abrahæ, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde quod generationi illi ob singulare privilegium Sanctitatis divinitùs noscitur esse concessa: quod longè ante eisdem patribus cælitùs repromissa, quod mysticis præfigurata miraculis, quod oraculis prænuntiata propheticis. Hanc enim Sacerdotalis virga; dum sine radice floruit: hanc Gedeonis vellus, dum in medio siccæ areæ maduit: hanc in Ezechielis visione Orientalis porta, quæ nulli unquam patuit, præsignabat.

℟. Ornatam monilibus, *ut in festo.*

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio S. Evangelij Secundùm Lucam. c. 1.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam Viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis MARIA. Et reliqua.

Homi-

Homilia S. Petri Damiani.
Serm. de Epiphania Domini.

LECTIO VII.

STella erat Virgo MARIA, de qua Balaam prædixit in prophetia sua: Orietur stella ex Jacob, & confringet omnes alienigenas. In stella fratres, quatuor principaliter attenduntur. Stella enim igneæ naturæ est, stella in se lucida est, & clara, stella ex se radium emittit, stella in nocte lucet. Hæc eadem in stella nostra, id est in Virgine MARIA possumus invenire. Stella ut diximus, igneæ naturæ est, & ipsa Virgo MARIA igneæ naturæ fuit. Ipsa est enim rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moysi, qui videbatur quidem ardere, sed non comburebatur; quia gravida quidem apparuit Virgo, sed igne libidinis non est consumpta. Ipsa in se splendida est, & clara, adeo ut de ipsa scriptum sit in Canticis Canticorum: Quæ est quæ progreditur sicut Aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut sol? Ipsa ex se radium illum emisit, qui penetrat usque ad cordis secreta; unde & merito congruit ei nominis interpretatio. MARIA namque stella maris interpretatur; hoc mare mundus est, sicut scriptum est: Hoc mare magnum & spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus!

℟. Felix namque es, *ut in festo.*

LECTIO VIII.

MErito ergo stella maris dicitur, quia ipsa tanquam Sydus singulare refulsit in mundo, & cujus splendor illuminat mundum, & ex se radium illum emisit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et sicut radius processit à Stella, stellâ integrâ permanente; sic Filius ex Virgine, Virginitate inviolabili perdurante. Stella lucet in nocte, & ipsa Virgo in nocte hujus sæculi sin-

singulariter fulsit, secundum quod de ea scriptum est: Quæ cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. Talis est Stella nostra, fratres, talis est Virgo MARIA, talis est stella maris: & quia reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, talis etiam debet esse anima nostra.

℟. Beatam me dicent, *ut in festo.*

LECTIO IX. De Homilia Dominicæ.

In Festo S. JOANNIS NEPOMUCENI Mart.
Duplex.

Omnia ut in communi Martyrum tempore Paschali, (si illud contingat Celebrari tempore Paschali. Alias omnia dicenda essent de communi unius Martyris) præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS qui ob invictum Beati Joannis Sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam Martyrii coronâ decorâsti, da nobis ejus intercessione, & exemplô linguam cautè custodire, ac omnia potiùs mala, quàm animæ detrimentum, in hoc sæculo tolerare. Per Dominum nostrum &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

JOannes Nepomuci Bohemiæ Oppidô, unde Nepomuceni cognomen duxit, à parentibus ætate provectis, non sine futuræ sanctitatis præsagio, flammis supra nascentis domum mirabiliter collucentibus, ortus est. Cùm infans in gravem morbum incidisset, Beatæ Virginis ope, cui natum parentes referebant acceptum, è vitæ periculo evasit incolumis. Egregia indole, piaque institutione cælestibus indiciis obsequente, inter Sanctas, religiosasque

exercitationes pueritiam egit: Nam Ecclesiam frequenter adire, & Sacerdotibus ad Aras operantibus ministrare in deliciis habuit. Zatecii politioribus literis ad humanitatē informatus; Pragæ verò gravioribus disciplinis excultus, Philosophiæ, Theologiæ, Sacrorumque Canonum Magisterium, & Lauream meruit. Sacerdotiô initiatus, atque à scientia Sanctorum ad lucra animarum ritè comparatus, ministerio Verbi DEI se penitus addixit. Cum igitur in vitiis, & revocandis in via salutis errantibus eloquentiâ, & pietate uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram Rege Venceslao IV. prædicandi Provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis svasu multa Rex faceret, magnoque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit dignitates, DEI servus, ne à Divini Verbi præconio avocaretur, constantissimè recusavit, Regiis illū Elèémosynis in pauperes erogandis præfectum, Joanna Regina conscientiæ sibi Moderatorem adscivit.

L E C T I O V.

CUm autem Venceslaus ab Officio, institutoque decessisset, atque in vitia præceps abriperetur; piæ autem Conjugis obtestationes, & monita gravatè ferret, contendere ausus est, ut in Sacramentali Judicio Sacerdoti credita Reginæ arcana sibi à Joanne panderentur. At DEI Minister blanditiis primū, tormentis deinde, & carceris squallore tentatus, nefariæ Regis cupiditati fortiter obstitit. Furentem tamen Venceslai animum cùm ab execrando proposito nec humana, nec divina jura deterrerent, Supremum agonem, quem instare sibi Athleta Christi noverat, populo in concione de impendentibus etiam Regni calamitatibus admonito, non obscurè

prę

prænuntiavit. Mox Boleslaviam profectus ad Beatæ Virginis Imaginem antiquo cultu celebrem, cæleste præsidium ad certandum bonũ certamen effusis precibûs imploravit. Inde Vesperi revertentẽ, in Pervigilio Dominicæ Ascensionis, Rex è fenestra conspicatus accersit, cumque vehementius urgeret, & proximam in aquis, si obluctari pergeret, submersionem intentaret, Joannes invicta constantiâ terrores, minasque refutavit. Itaque Regis Jmperiô in Moldavam flumen, Pragam interfluens noctu dejectus, illustrem Martyrii coronã est consecutus. Sacrilegum facinus clam patratum, & Martyris gloriã insigne prodigiũ Divinitus patefecit. Ubi enim exanime corpus secundo flumine vehi cæpit, ardentes faces aquis supernatantes, & discurrentes apparuerunt.

LECTIO VI.

QUamobrem ex arena postridie mane corpus elatum, Canonici deinde Regis iram nihil timentes, in Metropolitanam Ecclesiã solenni pompa intulerunt, & sepulturæ mandârunt. Cùm autem indies invicti Sacerdotis memoriâ, miraculis, & maxima fidelium, eorũ præcipuè, qui famâ periclitantur, veneratione cresceret, post annos decemũ amplius tercentos in juridica recognitione corporis, quod sub humo tam diu jacuerat, lingva ejus incorrupta, & vivida reperta est; quæ sextô post anno Judicibus à Sede Apostolica delegatis exhibita, novò prodigiô repentè intumuit, & subobscurum ruborem in purpurerum commutavit. His itaque, aliisq; signîs ritè probatis, Benedictus XIII. P. M. die decima nona Mensis Martii annô salutis millesimo septingentesimo vigesimo nono primũ hunc Sacramentalis Sigilli assertorem, Arcani fidem sangvine obsignantem, Sanctorũ Martyrũ catalogo adscripsit.

 In

In tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii secundùm Matthæum.

LECTIO VII. CAP. 10.

IN illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Nihil est opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non scietur. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.

Comment. in Matth. cap. 10. post medium.

DOminus diem judicii ostendit, quæ abstrusam voluntatis nostræ conscientiam prodet: & ea quæ nunc occulta existimantur, luce cognitionis publicæ deteget. Igitur non minas, non consilia, non potestates insectantium monet esse metuendas: quia dies judicii nulla hæc fuisse, atque inania revelabit. Et quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Non legimus Dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, & doctrinam in tenebris tradidisse; sed quia omnis sermo ejus carnalibus tenebræ sunt, & verbum ejus infidelibus nox est.

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis.
℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa.

LECTIO VIII.

ITaque id, quod à se dictum est, cum libertate fidei, & confessionis vult esse loquendum. Idcirco quæ in tenebris dicta sunt, prædicari jussit in lumine: ut quæ secreto aurium commissa sunt, super tecta, id est, excelso loquentium præconio audiantur. Constanter enim Dei ingerenda cognitio est, & profundum doctrinæ Evangelicæ secretũ in lumine prædicationis Apostolicæ revelandum: non timentes eos: quibus cùm sit licentia in corpora, ta-

men in animam jus nullum est: sed timentes potiùs Deum, cui perdendæ in gehenna & animæ, & corporis sit potestas.

℟. Hic est verè Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Qui minas.

Gloria Patri. Qui minas.

L E C T I O IX.

NOlite timere eos qui occidunt corpus. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus, neque ullus interimendæ carnis admittendus est dolor: quando pro naturæ suæ, atque originis conditione resoluta, in substantiam spiritualis animæ refundatur. Et quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam confitendi Dei habere constantiam, etiam conditionem, qua teneremur, adjecit: negaturum se eum Patri in cœlis, qui se hominibus in terra negâsset: eum porro qui confessus corã hominibus se fuisset, à se in cœlis confitendum: qualesque nos nominis sui testes hominibus fuissemus, tali nos apud Deum Patrem testimonio ejus usuros.

Te Deum laudamus. &c.

J U N I U S.

OFFICIUM SANCTISSIMI CORDIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Feriâ sextâ post Octavam Sanctissimi Corporis Christi sub Ritu Duplicis Majoris.

AD VESPERAS.

Antiphona. Discite à me, quia mitis sum, & humilis Corde.

Psalmus. Dixit Dominus Domino meo.

Antiph. Sanctificavi locum istum, ut sit Nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.

Psal: Confitebor Tibi Domine.

Ant: Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die.

Psal: Credidi propter quod.

Ant: Secundum multitudinem dolorum meorum in Corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Psal: Beati omnes qui.

Ant: Pone me ut Signaculum super Cor tuum, ut Signaculum super brachium tuum.

Psal: Lauda Jerusalem.

Capitulum Isaiæ 12.

ECce DEUS Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

H Y M N U S.

AUctor beate sæculi,
Christe Redemptor omnium,
Lumen Patris de lumine,
Deusque verus de Deo.

Amor coegit Te tuus,
Mortale corpus sumere,
Ut novus Adam redderes,
Quod vetus ille abstulerat.

Ille Amor almus Artifex
Terræ, marisque, & syderum,
Errata Patrum miserans,
Et nostra rumpens vincula.

Non

Non Corde discedat tuo
Vis illa Amoris inclyti,
Hoc fonte gentes hauriant,
Remissionis gratiam.
Percussum ad hoc est lanceâ,
Passumque ad hoc est vulnera;
Ut nos lavaret sordibus
Unda fluente, & sanguine.
Decus Parenti, & Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumquè in omne est sæculum, Amen.
℣. Ignem veni mittere in terram.
℟. Et quid volo, nisi ut accendatur?

Ad Magnificat, Antiphona.

Improperium expectavit Cor meum, & miseriam: & sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni.

O R A T I O.

COncede quæsumus Omnipotens Deus, ut qui in Sanctissimo dilecti Filii Tui Corde gloriantes, præcipua in nos Charitatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter & actu delectemur, & fructu. Per eundem Dominum nostrum.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Christum pro nobis passum: Venite adoremus.
Psal: Venite Exultemus Domino.

H Y M N U S.

EN, ut superba criminum,
Et sæva nostrorum cohors,
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!
Vibrantis hastam Militis
Peccata nostra dirigunt;

Ferrumque diræ cuſpidis,
Mortale crimen acuit.
Ex corde ſciſſo Eccleſia
Chriſto jugata naſcitur,
Hoc oſtium Arcæ in latere eſt,
Genti ad ſalutem poſitum.
Ex hoc perennis Gratia,
Ceu ſeptiformis fluvius,
Stolas ut illic ſordidas,
Lavemus Agni in ſanguine.
Turpe eſt redire ad crimina,
Quæ Cor beatum lacerent:
Sed æmulemur cordibus
Flammas Amoris indices.
Hoc, Chriſte nobis, hoc Pater,
Hoc Sancte dona Spiritus,
Quibus poteſtas, gloria,
Regnumque in omne eſt ſæculum, Amen.

In primo Nocturno Antiphona.

Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Pſal: Domine Dominus noſter, *ut in Officio B Virginis Mariæ.*

Antiph. Meditatio Cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Antiph. Elevamini Portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

℣. Domine dabis pacem nobis.

℟. Omnia enim opera noſtra operatus es nobis.

De Jſaia Propheta.

LECTIO I. CAP. 12.

COnfitebor Tibi Domine, quoniam iratus es mihi: Converſus eſt furor tuus, & conſolatus es me. Ecce Deus Salvator meus: fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Domi-

Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, mementote quoniam excelſum eſt Nomen ejus. Cantate Domino, quoniam mirificè fecit: annuntiate hoc in univerſa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Jſraël.

℞. Ego ſum panis vitæ: Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto & mortui ſunt: * Hic eſt panis de Cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur.

℣. Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt.

LECTIO II. CAP. 26.

IN die illa cantabitur Canticum iſtud in Terra Juda, Urbs fortitudinis noſtræ Sion, Salvator ponetur in ea murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur Gens juſta, cuſtodiens veritatem. Vetus error abiit, ſervabis pacem, quia in Te ſperavimus, Speràſtis in Domino in ſæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelſo, Civitatem ſublimem humiliabit eam usque ad terram.

℞. Ecce vidimus eum non habentem ſpeciem, neque decorem: aſpectus ejus in eo non eſt: hic peccata noſtra portavit, & pro nobis dolet: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras: * Cujus livore ſanati ſumus.

℣. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Cujus livore.

LECTIO III.

SEmita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum: & in ſemita judiciorum tuorũ Domine

mine ſuſtinuimus Te: Nomen tuum, & memoriale tuum in deſiderio animæ. Anima mea deſideravit Te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad Te. Cùm feceris judicia tua in terra, juſtitiam diſcent habitatores Orbis.

℟. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia magna ſolus: * Et benedictum nomen Majeſtatis ejus in æternum.

℣. Replebitur Majeſtate ejus omnis terra fiat, fiat. Et benedictum.

Gloria Patri. Et benedictum.

In ſecundo Nocturno, Antiphona.

Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in Templum Regis.

Pſalmi ut in Offic: B. V. MARIÆ.

Ant. Sanctificavit Tabernaculum ſuũ Altiſſimus.

Ant. Sicut lætantiũ omniũ habitatio eſt in Te.

℣. Converſus eſt furor tuus.

℟. Et conſolatus es me.

De Sermone S. Bernardi Abbatis. Serm. 3. de Paſſ.

LECTIO IV.

Quia ſemel venimus ad Cor dulciſſimum JESU, & bonum eſt nos hic eſſe, ne ſinamus nos facile avelli ab eo, de quo ſcriptum eſt: Recedentes à te in terra ſcribentur. Quid autem accedentes? Tu ipſe doces nos: Tu dixiſti accedentibus ad Te: Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in Cœlo. Accedamus ergo ad Te, & exultabimus & lætabimur in Te, memores Cordis tui. O quàm bonum, & quàm jucundum habitare in Corde hoc! Quin potiùs dabo omnia, omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, jactans omnem cogitatũ meum in Cor Domini Jesu, & ſine fallacia illud me enutriet.

℟. Qui manducat meam carnem, & bibit meũ Sanguinem: * in me manet & ego in eo.

℣. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis In me manet.

LECTIO V.

AD hoc Templum, ad hæc Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, & laudabo nomen Domini, dicens cum David: Invenit Cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, Fratris, & amici benigni JESU. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo, & meo, dulcissime JESU, invento, orabo Te Deum meum: admitte tantum in Sacrarium exauditionis tuæ preces meas: imo me totum trahe in Cor tuũ. O! omnium pulchritudine speciosissime JESU, amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: ut purificatus per Te purissimũ, possim accedere, & in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare, & ut videre simul & facere tuam valeam voluntatem.

℟. Sicut ovis ad occisionem ductus est, & dum malè tractaretur, non aperuit os suum; traditus est ad mortem: * Ut vivificaret populum suum.

℣. Tradidit in mortem animam suam, & inter sceleratos reputatus est. Ut vivificaret.

LECTIO VI.

AD hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, & in Te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quòd non solùm Corpus, verùm etiam ipsum Cor lancea vulnerari

nerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus amemus, redamemus, amplectamur. Vulneratum nostrum, cujus impii agricolæ foderunt manus, & pedes; latus, & Cor: stemusque, ut Cor nostrum durum adhuc, & impænitens Amoris sui vinculo constringere, & jaculo vulnerare dignetur.

Quam charitatem Christi patientis, & pro generis humani redemptione morientis, atque in suæ mortis commemorationem instituentis Sacramentũ Corporis, & sanguinis sui, ut Fideles sub Sanctissimi Cordis Symbolo devotiùs, ac ferventiùs recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, CLEMENS XIII. Pont. Max. ejusdem Sanctissimi Cordis Festũ, quibusdam petentibus Ecclesiis celebrare permisit.

℟. Magnus Dominus & laudabilis nimis: * Et sapientiæ ejus non est numerus.

℣. Magnus Dominus & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est finis. Et sapientiæ.

Gloria Patri. Et sapientiæ.

In Tertio Nocturno, Antiphona.

Annuntiate de die in diem salutare ejus.

Psalm: In Officio B. V. MARIÆ.

Ant: Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit, & lætata est Sion.

Ant: Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri. ℣. Ex Sion species decoris ejus.

℟. Deus noster manifeste veniet.

Lectio Sancti Evangelii Secundùm Joannem.

LECTIO VII. CAP. 19. 31.

IN illo tempore Judæi, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato,

(erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract: 120. Joan.

UNus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit, ut illud quodammodo vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lavacrum præstat, & potum. Hoc prænuntiabat quod Noe in latere Arcæ ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

℟. Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me vivet propter me.
℣. Cibavit illum Dominus pane Vitæ, & intellectus. Et qui manducat.

LECTIO VIII.

De Homilia S. Joannis Chrysost: Homil: 84.

VIdes, quanta sit veritas? per ea, quæ Judæi faciunt, prophetia impletur, alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo Milites, & aliorum fregerunt crura, non Christi; sed ad Judæorum gratiam conciliandam, latus ejus, lanceâ aperuerunt, & mortuo adhuc insultant. O! pessimam voluntatem, ac scelestissimam! Noli tamen perturbari, o! dilectissime; quæ enim malo illi animo patrârunt, veritati consentiebant, prophetia hinc impleta est, inquiens: videbunt in quem transfixerunt. Neque hoc tantùm, sed non credituris fuit fidei argumentum,

tum, ut Thomæ, & qui cum eo erant. Ad hæc & arcanum mysterium confirmatum est; exivit enim sanguis & aqua: non casu, simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est.

℟. Recessit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujus transitum Sol obscuratus est: * Portas mortis & seras pariter Salvator noster disrupit.

℣. Destruxit quidem claustra inferni, & subvertit potentias diaboli. Portas.

Gloria Patri. Portas.

LECTIO IX.

De Homilia S. Bonaventuræ Episcopi.

Libro de ligno Vitæ.

PORro ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, divina est ordinatione indultum, ut unus Militum lanceâ latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostræ salutis, quod à fonte scilicet, Cordis arcano profusum, vim daret Sacramentis Ecclesiæ, ad vitam gratiæ conferendam; essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi, salientis in vitam æternam. Surge igitur anima amica Christi vigilare non cesses, ibi os appone, ut haurias aquas de Fontibus Salvatoris.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

& per Horas, Antiphonæ.

Discite à me, *ut supra ad Vesperas.*

Psal. Dominus regnavit: *Cum reliquis de Dominica.*

Capitulum Isaiæ 12.

Ecce Deus Salvator meus, *ut supra.*

HYMNUS.

COr, Arca legem continens
Non servitutis veteris:

Sed

Sed Gratiæ, ſed veniæ,
Sed & miſericordiæ.
Cor, Sanctuarium novi
Intemeratum Fœderis,
Templum vetuſto ſanctius,
Velumque ſciſſum utilius:
Te vulneratum Charitas
Ictu patenti voluit;
Amoris inviſibilis,
Ut veneremur vulnera.
Hoc ſub Amoris ſymbolo
Paſſus cruenta & myſtica,
Utrumque ſacrificium,
Chriſtus Sacerdos obtulit.
Quis non Amantem redamet?
Quis non redemptus diligat,
Et Corde in iſto ſeligat
Æterna tabernacula?
Decus Parenti, & Filio,
Sanctoque ſit Spiritui,
Quibus poteſtas gloria,
Regnumque in omne eſt ſæculum, Amen.

℣. Vere languores noſtros ipſe tulit.
℟. Et dolores noſtros ipſe portavit.

Ad Benedictus, Antiphona.

Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.

Oratio ut ſupra.

Ad Primam.

℟. *breve.* Chriſte Fili Dei vivi miſerere nobis. Chriſte Fili Dei vivi miſerere nobis.
℣. Qui paſſus es pro nobis. Miſerere nobis.

Ad Tertiam.

Capitulum. Ecce Deus Salvator. &c.

℟. *breve.*

℟. *br.* Verè languores noſtros ipſe tulit. Verè.
℣. Et dolores noſtros ipſe portavit.
Languores noſtros ipſe tulit.
Gloria Patri. Verè.
℣. Poſuit fines tuos pacem.
℟. Et adipe frumenti ſatiat Te.

Ad Sextam.

Capitulum Iſaiæ 12.

Dicetis in illa die: Confitemini Domino: & invocate nomen ejus: & mementote, quoniam excelſum eſt nomen ejus.

℟. *br.* Poſuit fines tuos pacem. Poſuit.
℣. Et adipe frumenti ſatiat Te.
Fines tuos pacem.
Gloria Patri. Poſuit.
℣. Dirupiſti Domine vincula mea.
℟. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.

Ad Nonam.

Capitulum Iſaiæ 12.

Cantate Domino quoniam mirificè fecit, annuntiate hoc in univerſa terra. Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Iſrael.

℟. *br.* Dirupiſti Domine vincula mea. Dirupiſti.
℣. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Vincula mea.
Gloria Patri. Dirupiſti.
℣. Erit Dominus nominatus in ſignum æternum.
℟. Quod non auferetur.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter ſequentia.

℣. Haurietis aquas in gaudio.
℟. De Fontibus Salvatoris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ad JESUM autem cùm veniſſent, ut viderunt eum mortuum, non fregerunt ejus crura; ſed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis, & aqua. *Oratio ut ſupra.*

JU-

JULIUS

Die 4. Ejusdem.

IN FESTO S. JOSEPHI CALASANCTII.

à MATRE DEI CONFESSORIS

Et Fundatoris Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum.

Officium Duplex primæ Classis cum Octava.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ sequuntur.

Quæ Lectiones utriusque Nocturni servient pro MENSIBUS JANUARIO & FEBRUARIO.

OREMUS.

DEUS, qui per S. JOSEPHUM Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiæ, ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium providere dignatus es, præsta quæsumus, nos ejus exemplo, & intercessione ita facere, & docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dominum nostrũ JESUM Christum Filium &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Comm. Conf. non Pontif. 2do loco.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

JOSEPHUS Calasanctius à Matre Dei Petraltæ in Aragonia nobili genere natus, à teneris annis, futuræ in pueros charitatis, & eorum institutionis indicia præbuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in Mysteriis Fidei, & sacris precibus erudiebat. Humanis, divinisque literis egregie doctus, cum studiis Theologicis Valentiæ operam daret, nobilis potentisquæ fæminæ illecebris fortiter

 supe-

ſuperatis, virginitatem, quam Deo voverat, inofſenſam, inſigni victoria ſervavit. Sacerdos ex voto factus, à compluribus Epiſcopis in Caſtellæ Novæ, Aragoniæ, & Catalauniæ regnis in partem laborisque adſcitus, expectationem omnium vicit, pravis ubique moribus emendatis, Eccleſiaſtica diſciplina reſtituta, inimicitiis cruentisque factionibus mirifice extinctis. At Cœleſti viſione, & Dei voce frequenter admonitus Romam profectus eſt. Tu autẽ Domine &c.

℟. Honeſtum fecit illum &c.

L E C T I O V.

IN Urbe ſumma vitæ aſperitate, vigiliis, & jejuniis corpus affligens in orationibus, & cœleſtiũ rerum contemplatione dies noctesque verſabatur, ſeptem ejusdem Urbis Eccleſias ſingulis fere noctibus obire ſolitus: quem inde morem complures annos ſervavit. Dato piis ſodalitatibus nomine, mirum, quanto ardore pauperes, infirmos potiſſimum aut carceribus detentos eleemoſinis, omnique pietatis officio ſublevaret. Lue Urbem depopulante, una cum S. Camillo, tanto fuit actus impetu charitatis, ut præter ſubſidia ægrotis pauperibus large collata, ipſa etiam defunctorum cadavera ſuis humeris tumulanda transferret. Verum cum divinitus accepiſſet, ſe ad informandos intelligentiæ, ac pietatis ſpiritu adoleſcentulos, præcipue pauperes deſtinari, Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio inſtituto profiterentur: Ipſumque Ordinem Clementi VIII. Paulo V., aliisque Summis Pontificibus magnopere probatũ, brevi tempore per plurimas Europæ Provincias, & Regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpeſſus eſt, ac

tot

tot ærumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis, & S. Jobi exemplum diceretur. Tu autem &c.

℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

Quamvis Ordini universo præesset, totisque viribus ad animarum salutem incumberet, nunquam tamen intermisit pueros, præsertim pauperiores, erudire, quorum scholas verrere, eosque domũ comitari consuevit. In eo summæ patientiæ, & humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos & quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea, quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, & cui Beatissima Virgo cum puero Jesu, illis orantibus benedicente, appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetia, abdita cordium, & absentia cognoscendi donis, & miraculis clarus, Deiparæ Virginis, quam singulari pietate, & ipse ab infantia coluit, & suis maxime commendavit, aliorumque Cœlitum frequenti apparitione dignatus, cum obitûs sui diem, & Ordinis tunc prope eversi restitutionem, atque incrementũ prænuntiasset, secundum & nonagesimum annum agens, Romæ obdormivit in Domino octavo Kalen: Septembris Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Ejus Cor, & Lingva post sæculum integra, & incorrupta reperta sunt. Ipse vero multis post obitum quoque signis à Deo illustratus, primum à BENEDICTO XIV. Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde à CLEMENTE XIII. Pontifice Maximo inter Sanctos solemniter est relatus. Tu autem Domine &c.

℟. Jste Homo &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 81.

Lectio S. Evangelij Secundùm Matthæum.

IN illo tempore accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major est in Regno Cœlorum? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

In Cap. 18. Matth. Hom. 60.

VIdete, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, & quia ego propter eos veni, & hæc Patris mei voluntas est, ad tuendos, conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicis quam ingentia in tutelã tenuiũ mænia erexerit, & quantum studiũ, curamque habeat, ne perdantur, tum quia supremas decipientibus eos pænas statuit, tum quia summã pollicetur mercedem his, quia curã eorum suscipiunt, idque tam suo, quàm Patris exemplo corroborat. Tu autem &c.

℟. Jste est &c.

L E C T I O VIII.

DOminum igitur etiam nos imitemur, & nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum, quæ humilia, viliaque nimium videntur: sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamvis tenuis, atque abjectus quidem, cui administrandũ sit, fuerit, quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur, omnia hæc pro fratris salute tolerabiliora, faciliora que, oro, videantur: Tanto enim studio, tantaque cura Deus dignã esse animã ostendit, ut neque Filio suo pepercerit. Tu autem &c.

℟. Sint lumbi vestri &c.

L E C T I O IX.

SI non est nobis satis ad salutem, quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem re ipsa desiderare; cum neque nos recte vivamus, neque alios hortemur, quid respondebimus; quæ nobis

bis ſpes ſalutis reliqua erit? Quid majus, quàm animis moderari, quam adoleſcentulorum fingere mores? Omni certe ſtatuario, cæterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc duco, qui juvenũ animos fingere non ignoret. Tu autem &c.

Te DEUM &c.

Die 5. Julii.

De 2. die infra Oct. S. P.

& MENSIBUS MARTIO & APRILI.

In primo Nocturno de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Ex Bulla Canonizationis.

LECTIO IV.

SErvus Dei Joſephus jam inde à teneris annis ſuavitate morum, lenitate, patientia, precandi ſtudio, cultu Deiparæ ſingulari, qualis futurus eſſet haud obſcure indicavit. Grandiuſcula mox ætate Pueros munuſculis ad ſeſe alliciens, avocare à vitiis, ad virtutem impellere, ad Dei cultum hortari ſolebat; ut proinde Sancti apud omnes nomen, & famam adeptus, inſtituendo ab ſe Ordini proludere quodammodo videretur. Humaniorum Artium doctrina ſatis jam excultus ad præſtantiores Juris prudentiæ, ac Theologiæ facultates animum appulit, atque in iis quidem nulli ſecundus: innocentia vero, caſtimonia, integritate morũ ſupra cæteros eminebat. Quod enim tempus plerique adoleſcentium ludis atque otio, religionis ille, ac pietatis officiis impertiebat. Tu autem &c.

℟. Honeſtum fecit illum &c.

LECTIO V.

SOlitudinis ſtudioſus continebat ſe domi, niſi vel ad templum pietas (quod frequens erat) vel ne-

cessitudo, studiorũque communio ad æqualiũ quandoque consuetudinem, & colloquium vocaret. Neque vero in illo aut modestiæ comitas, aut comitati modestia officiebat. Largissima erat in eo erga inopes, atque egenos misericordia. Ardor animi erga res divinas, præsertim cum ad sacra Mysteria accederet, ita ex vultu ipso atque ore emicabat, ut in admirationem sui oculos intuentium raperet. Pudor autem prorsus in eo singularis, ut vel in tenera adhuc ætate, morbo licet urgente, nemini umquam, ne Matri quidem, corpusculi ipsius partem ullam adspicere nudam licuerit. Tu autem &c.

℞. Amavit eum Dominus &c.

LECTIO IV.

ILerdæ non alia utique, quam eximiæ suæ commendatione virtutis, cunctis, quum Magistrorũ, tum Condiscipulorũ suffragiis universæ studiosæ juventuti præfectus, ac princeps renuntiatus, ejusmodi honore ac munere sic functus est, ut qua voce, qua exemplo segnes ad studia, diffidentes ad concordiam, improbos ad virtutem adhortaretur. Et quidem industriæ suæ fructum tulit, quem maxime optarât. Alia enim jam facies extitit juventutis in Scholis, in Templis, in Nosocomiis, ut propterea qui tam præclare meritum de Scholis Josephum susciperent, eumdem veluti delapsum è Celo Angelum venerarentur. Tu autem &c.

℞. Iste Homo &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 18.

Lectio S. Evangelii secundùm Matthæum.

IN illo tempore accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major est in Regno Cælorum? Et reliqua.

Homi-

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.
In Cap. 18. Matth. Hom. 59.

CUriose, inquit, scrutamini vos quis vestrum major sit, & de primatûs honore contenditis. Ego autem si quis humiliorem se cæteris non effecerit, ipso ingressu cælesti omnino indignum assero. Recte autem ante oculos monstratione parvuli totam rem posuit, ipso aspectu eos convertens, ac persuadens, ut absque simulatione aliqua humilitatem amplectantur. Tu autem &c. ℟. Jste est &c.

L E C T I O VIII.

PArvuli autem non invidere, nec inanem expectare gloriam, nec primatûs desiderare dignitatem noverunt, sed maxime hanc virtutem possident, puram dico simplicitatem, & humilitatem. Non ergo fortitudine tantum, ac prudentia, sed humilitatis quoque virtute, & simplicitate nobis opus est: quæ si non adest, salus nostra certe claudicat. Tu autem &c. ℟. Sint lumbi vestri &c.

L E C T I O IX.

PArvuli etiam nec si contumelientur, aut verberentur, afficiuntur odio, nec si laudantur, & honorantur, ulla commoventur arrogantiâ. Vides quomodo rursus ad præclara naturæ opera non provocat, ut ostendat posse nos voluntatem istam nancisci, & perniciosam Manichæorum rabiem acuto concidit gladio. Si enim natura per se mala est, cujus gratia philosophandi exempla inde trahit? Tu autem &c.

Die 7. Julii.

De die 3. infra Oct. S. P.

& MENSIBUS MAJO & JUNIO.

In primo Nocturno de scriptura occurrente.
In secundo Nocturno.

Ex Bulla Canonizationis.

LECTIO IV.

COram Josepho nemo erat, qui impudenter dicere aliquid, vel indecora facere auderet. Tam spectatam virtutem ac præsertim animi castimoniam teterrimus humani generis hostis ferre non poterat. Itaque ad eam labefactandã usus est impudentiâ nobilis cujusdã fœminæ. Sed castissimus Juvenis blandientis illicebras tanta animi exhorrescentis constantiâ elusit, ac respuit, ut non satis haberet, quod è domo illa tamquam ex infami scopulo sese proripuisset; nisi etiam ex urbe ipsa, uti præstitit, alio demigraret. Tu autem &c.

℟. Honestum fecit illum &c.

LECTIO V.

PEracto studiorum curriculo, laureâ donatus, tametsi nondum sacris majoribus initiatus, ab Episcopo Jaccæ Socius laborum adscitus est, non sine magna Diæcesis utilitate. Jam vero mortuo Fratre sine liberis, à Parente in Spem Familiæ destinatus ad nuptias, morbo interveniente periculoso, atque ancipiti, ab iis sese expedivit. Quum enim ad mortem decumberet, facile à Parente Josephus obtinuit, ut, si convalesceret, cælibem agere vitam liceret. Itaque præter omnem opinionem recuperata valetudine, Sacrorum Ordinum susceptione totum se Deo mancipavit. Neque verò diu sibi uni vacavit. Cognita enim illius pietas, sapientia, integritas; fecit, ut à pluribus Episcopis in Pastoralis sollicitudinis partem advocaretur. Quibus ille quidem non mediocri laborum fructu operam egregie navavit. Tu autem &c. ℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

BArcinonem Regia missus authoritate scissam in factiones duas Civitatem, atque in mutuas mox cæ-

des fœdiſſime ruituram (quod optare magis, quam ſperare Cives poſſent) ad concordiã, & pacem conſilio, & fuſis ad Deum precibus revocavit. Charitatis hoc, & prudentiæ; illud animi demiſſionis fuit, quod ut paratos ſibi honores defugeret, oculis, atque adſpectui plaudentium ſibi Civium ſeſe ſubducens, Urgellam ſtatim reverſus eſt; à qua tamen majus quoddam humilitati ſuæ inſtare ab Rege periculum ſuſpicatus, ob rem tantam jam pervulgatam, haud ita multo poſt proficiſcens, ætatis ſuæ anno ſecundo ſupra trigeſimum, Romam, quo divinitus vocabatur, ſe contulit. Tu autem &c.

℟. Jſte homo &c.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 18.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Matthæum.

IN illo tempore acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Quis putas, major eſt in Regno Cœlorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi.

In Cap. 18. Matth. Hom. 59.

PArvulum ætate, & quidem mea ſententia valde parvulum, qui ab omnibus eſſet paſſionibus liber in medio ſtatuit. Illa enim ætas omni arrogantia, omni gloriæ inanis furore, omni livoris inſania, omni contentionis cupiditate, cæteriſque hujusmodi affectibus immunis eſt. Cumque præcipuis muniatur virtutibus, ſimplicitatis ſcilicet ac humilitatis, de nulla iſtarum ſuperbit, ita duplici Philoſophia ornatur. Nam & hæc bona poſſidet, & nihil ſibi propter hæc arrogat; his de cauſis in medio parvulũ ſtatuit. Tu autem &c. ℟. Jſte eſt &c.

LECTIO VIII.

NEc ſermonis hic finem fecit, ſed ulterius admonitionem producit, dicens: Et quicumque

ſuſceperit unum parvulum talem in nomine meo, me ſuſcipit. Non enim ſolum, inquit, magna erit merces veſtra, ſi tales efficiemini, verum etiam ſi alios tales propter me honorabitis: propter veſtrum erga illos honorem regnum vobis retribuetur, quodque omnium extremum eſt, me ipſum ſuſcipietis. Ita vehementer humilitate, & moribus, qui procul ab omni ſimulatione abſint, afficior. Tu autem &c.

℟. Sint lumbi veſtri &c.

LECTIO IX.

PArvulos quidem hic ſimplices homines, quos multi ſpernunt, appellavit: hunc autem ſermonem non præmiis ſolum in animum penetrare facit, verum etiã terrore pænarum corroborat. Nam quemadmodum qui hos parvulos propter me honorant, cælum poſſidebunt, inquit, imo vero cælo quoque ipſo majus aliquid, atque præſtantius: ſic, & qui deſpiciunt, atque vituperant, maximo plectentur ſupplicio. Vides quomodo radicitus arrogantiæ tumorem evulſit: quomodo vanæ gloriæ ulcus curavit? Tu autem &c. Te Deum laudamus &c.

Die 8. non impedita.

De die 4. infra Oct. S. P.

& MENSIBUS JULIO & AUGUSTO.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Ex Bulla Canonizationis.

LECTIO IV.

VItam in Urbe Joſephus abſconditam cogitabat; ſed à Cardinali Columna, qui præſtantiam illius ab Epiſcopo Urgellenſi cognoverat, in Aulam ſuã adſcitus eſt, ut ſibi Theologus à ſtudiis, ac Fratris Filio præterea, optimæ ſpei adoleſcentulo, mo-

rum

rum magister esset. Verũ non is erat Josephus, qui Aulæ honoribus caperetur, cum non semel dignitates amplissimas repudiaverit. Illud enim sibi proposuerat jamdudum, ut Deo maxime, & proximorum saluti inserviret. Itaque ut ampla laborum, & meritorum seges suppeteret, quinque se celeberrimis Romæ Sodalitatibus adscribi voluit, quarũ sanctissimas leges sedulo, ac naviter observavit. Tu autem &c. ℟. Honestum fecit illum &a.

L E C T I O V.

GRassante per Urbem lue, hic enim vero, si umquam antea, quid Christiana charitas possit maxime ostendit. Nullum enim ab eo erga ægros, & pauperes officium defuit. Qua quidem in re misericordiæ, atque humilitatis assidua erat exercitatio. Talis namque ac tantus Vir, onustum cibariis ac pharmacis asellum per vias agere, & cum Sancto Camillo de Lellis ad egentium, atque ægrotantium domos deferre nequaquam erubescebat. Neque vero cum juvandis proximis tantum temporis impertiret; Spatium illi deerat ad ea, quæ cultus Dei sunt, obeunda. Etenim ut præter cætera Religionis officia, septem Urbis Ecclesias, quod à multis jam annis solemne habebat, inviseret, è nocturna quiete partem sibi maximam detrahebat. Tu autem &c.

℟. Amavit eum &c.

L E C T I O VI.

SEd majus profecto aliquid, quod non ad Urbem modo, sed ad Christianam Rempublicam pertineret Josephus aggressus est. Quum enim Vir æternæ proximorũ salutis maxime studiosus videret pueros, præsertim infimæ sortis, necessaria instructione carere; qua ex re cum inscitia passim vitia inolescerent, primo quidem sumptu suo Magistros quæsivit, qui pueros, præeunte ipso, ac pauperrimos sibi de-

po-

poſcente, primis litterarum, ac Chriſtianæ doctrinæ elementis imbuerent. Sed cum id ad tempus dumtaxat, & paucis profuturũ intelligeret, novum quoddam inſtitutum meditatus eſt, cujus opera aſſidua illa charitatis in edocendis adoleſcentibus exercitatio perpetua maneret. Tu autem &c.

℟. Jſte homo &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 18.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

IN illo tempore acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Quis putas, major eſt in Regno Cœlorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi.

In Cap. 18. Matth. Hom. 60.

PArvulos hic non vere parvulos, ſed multorum æſtimatione appellavit: pauperes, dico, ignotos, ceteroſque hujuſmodi, quos multi contemnere ſolent, qui nec revera parvuli ſunt, cum toti mundo ſint æquiparabiles, & Creatori omniũ amici, ſed multorum æſtimatione tales eſſe putantur. Illos venerabiles facit, dicens: quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui eſt in Cœlis. Nihil aliud deſignatur, cum faciẽ dicat Patris mei aſpiciunt, quam ſumma fiducia eorum, & honor præcipuus. Tu autem &c.

℟. Jſte eſt &c.

LECTIO VIII.

PErpendis quot, quibuſque rationibus ad curam tenuiorum nos inducit. Noli ergo dicere ferrarium eſſe aliquem fabrũ, aut ſutorem, aut agricolam, ac ideo quaſi rudem eſſe contemnendũ. Vide quanta ſibi cura ſit, ne hoc patiaris; vide quot te argumentis ad modeſtiam, & ad curam minorum revocat: Infantem in medio ſtatuit, & dixit: efficia-

ciamini ut parvuli, & quicumque talem ſuſceperit parvulum, me ſuſcipiet. Tu autem &c.

℟. Sint lumbi &c.

LECTIO IX.

SI Deus mirum in modum invento parvulo gaudet, qua tu audes ratione eos contemnere, atque conculcare, qui Deo chariſſimi ſunt; cum oporteat animam quoque ipſam pro uno iſtorum tradere puſillorum? Ita inquies, ſed abjectus & tenuis eſt. Hac quidem ratione multo diligentius tibi omnia facienda ſunt, ut eum conſerves. Nihil ſane ita charitati repugnat, ſicut ſuperbia, & mentis elatio. Ne igitur talium animos negligamus. Tu autem &c.

Die 9. Julii.

De 5. die infra Oct. S. P.

& MENSIBUS SEPTEMBRI & OCTOBRI.

In primo Nocturno, de ſcriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Ex Bulla Canonizationis.

LECTIO IV.

QUam multas quamque acerbas ob ſuum inſtitutum à domeſticis ipſis, nedum ab aliis injurias calumniasque pertulerit Joſephus, haud facile dictu eſt. Illud ſit inſtar omnium, quod felicis recordationis Benedictus XIV., ut perhibent, aſpera quæque atque indigna, quæ ſervo Dei ad extremam usque ætatem ſubeunda fuerunt, animo reputans, Joſephum Jobum alterum appellare non dubitavit. Illud utique dolendum maxime, atque acerbum accidit, quod Vineam à ſe tanto labore, ac ſtudio plantatam, quæque palmites ſuos longe, lateque extenderat, diſſipatam jam, atque à ſingulari Fero pene exterminatam conſpexit. Tu autem &c.

℟. Honeſtum fecit &c. LE-

LECTIO V.

ATtamen in his rerum aſperitatibus ne veſtigium quidem de gradu conſtantiæ dejectus, oſtendit, quam vere dictum ſit: Juſtum non contriſtare quidquid acciderit. Contumeliis enim, & conviciis laceſſitus impudentiſſimis, ita ſe gerebat, ut iis delectari videretur; obtrectatoribus ſuis, quos coercere facile potuiſſet, non aliam rependit vicem, quam quæ à Chriſto præſcripta eſt, ut bene ſcilicet precaretur iis, à quibus injuriam acceperat. Tu autem &c. ℟. Amavit eum Dominus &c

LECTIO VI.

SEd & Deus ipſi tam admirabili patientiæ cæleſtem aliquam vel in terris mercedem rependit. Deiparam enim cum Puero Jeſu videre meruit, ſibi, & commiſſis diſciplinæ ſuæ adoleſcentibus benedicentem. Illius modo vultus inter orandum, modo corpus totum, dum ſacris operatur, cœleſti lumine circumfuſum, atque è terra ſublime conſpectum eſt. Illum in cubiculo preces fundentem Beatiſſima Virgo adſpectu, alloquioque ſuo recreavit. Dono præterea prophetiæ non caruit, qua vel futura prædiceret, vel arcana cordiũ penetraret. Abſentibus invocatus præſto erat. Ejus item contactus ægrotantibus ſalutaris erat, præſentia Dæmonibus formidoloſa. Tu autem &c. ℟. Jſte homo &c.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 18.

Lectio Sancti Evangelii Secundùm Matthæum.

IN illo tempore acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Quis putas, major eſt in Regno Cœlorum? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chryſoſtomi.

In Cap. 18 Matth.

VIdete, ne contemnatis unum ex his puſillis. Qui-

nam hi ſunt puſilli, quos minime contemnendos denunciat? Pauperes nimirum, atque ignoti, qui nec vel eſſe à plerisque putantur. Non enim de iis, qui vere parvuli ſunt ætate, verba facit. Quemadmodum enim noxios ſcelestosque vitare optimum eſt, ita profecto ſuaves, atque modeſtos, hoſpitesque, ac pauperes honorare eſt maximum. Tu autem &c.

℞. Jſte eſt &c.

LECTIO VIII.

OPus eſt intueri quot nos, ut modeſti ſimus, nosque in fratrum curam interſeramus perſuaſionibus cohortetur. Statuit in medio puerum, & ait: efficiamini, ſicut pueri. Et quicumque ſuſceperit puerum talem, me ſuſcipit. Ab Angelorum, quibus eorum fuit cura demandata, qui tenues abjectique fratres, nulliusque putantur pretii, dignitate perſuaſit. Rurſus à Patris voluntate, quod nec illi videatur, ut ex his vel unus pereat. Ne igitur hujusmodi abjectorum animas ullatenus negligamus, ob id univerſa hæc dicta fuere. Tu autem &c.

℞. Sint lumbi veſtri &c.

LECTIO IX.

POrro qui Cœlum ingredi cupit, ſicut puer efficiatur, ſuperbiamque omnem conculcet, ac faſtum; de proximi ſalute laboret, ac curam gerat; hunc unum mentis habeat ſcopum, ut fratrem aliquem animæ periculo, quod diabolica immiſſione hominibus objici conſuevit, eripiat. Neque enim dumtaxat oportet, ut quisque ſuæ tantum ſaluti conſulat, & contentus ſua, ſit negligens alienæ; hoc etenim pacto, & ſuæ perniciem affert. Verum decet, ut & ſtantibus egregiam quamdam, ac promptam animi voluntatem inſeramus, & jacentes ſurſum erigamus. Tu autem &c.

Te Deum laudamus &c.

Die 11. Julii.

Octava S. P.

& MENSIBUS NOVEMBRI & DECEMBRI.

In primo Nocturno, de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Bulla Canonizationis.

LECTIO IV.

JAm suprema dies aderat, qua Josephus ejusdem præscius, post labores tam multos, post tam longas ærumnas sempiterna quiete, ac beatitudine potiretur. Itaque correptus morbo, quem Medici levem, & ultimum ipse affirmabat, Christianarum virtutum ope, earumque maxime, quas id tempus posceret, in occursum Domini parare se impense studebat. Morbi autem vim non patientia modo ipsius, atque animi æquitas, sed etiam Beatissimæ Virginis, aliorumque Cœlitum visiones suavissime leniebant. Tu autem &c. ℟. Honestum fecit illum &c.

LECTIO V.

INter eas porro illa utique jucundissima, qua eadem Dei Mater sese conspiciendam dedit, complurium, qui religiosæ illius disciplinæ Alumni fuerant, numero commitata. Alia prætcrea visione servum suum Deipara cum Sanctissimo Filio suo recreavit, pollicita insuper fore, ut Ordo ab ipso institutus, de quo sollicitus erat, ne forte interiret, protegente se, reflorescerct. Quod quidem cum ad erigendos in spem suos magnopere pertineret, existimavit se, salva modestia, posse id eisdem palam facere, atque adeo debere. Tu autem &c.

℟. Amavit eum Dominus &c.

LECTIO VI.

SAnctissimo deinde Corporis Christi Viatico robo-

catus,

ratus, quatuor è ſuis Alumnis in Vaticanum mittendos duxit: duos quidem, qui Sancti Apoſtolorũ Principis æneam ſtatuam venerati pium illius pedibus oſculum darent, ceu teſtem Catholicæ Romanæ Fidei, in qua emori, uti vixerat, Joſephus optabat; alios vero duos, qui à Summo Pontifice Chriſti Vicario plenã culpæ omnis ac pænæ remiſſionem ipſius nomine peterent, atque impetrarent. Sacra demum Unctione munitus, lacrymas inter ac preces ſuorũ, ſublatis ad Cœlũ oculis, & pendentis è Cruce Chriſti imaginem oſculatus, ſui compos, & ſenſibus valens, pacatiſſimum Conditori ſuo ſpiritum reddidit, octavo Kalendas Septembris anni Domini milleſimi ſexcenteſimi quadrageſimi octavi. Tu autem &c.

℟. Jſte homo &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 18.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

IN illo tempore acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Quis putas, major eſt in Regno Cœlorum? Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi.

In Cap. 18. Matth.

JESUS accerſitum ad ſe puerum ſtatuit, in medio illorum, & dixit: amen dico vobis, niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut pueri non intrabitis in Regnum Cœlorum. Quod ſane indicat, oportere unumquemque ſemet cæteris humiliorem præſtare. Nam invidiæ inaniſque gloriæ affectu puerulus omnio eſt alienus, puruſque, ac ſimplex, primas ambire nec novit: & licet vel contumeliis vel verberibus impetatur, non moleſte id accipit, nec ſi honoribus cumuletur, aut laudibus, propterea inſoleſcit, aut inflatur. Tu autem &c..

℟. Jſte eſt &c.

LECTIO VIII.

IN medio autem illum ſtatuit : volens vel ipſo pueruli adſpectu ipſos convertere. Animadvertendum porro quomodo ad naturalia nos virtutis opera evocat, oſtendens poſſe nos libero delectu illa perficere. Illud autem quod ait, & qui receperit unum puellum talem in nomine meo, me recipit, hoc eſt non ſolum (inquit) vobis, ſi ejusmodi efficiami, mercedem comparaveritis, ſed etiamſi & alios id genus propter me fueritis honore proſecuti, hujus veſtri in eos honoris gratia, regnum vobis in mercedem tribuo. Tu autem &c.

℞. Sint lumbi veſtri &c.

LECTIO IX.

PUeros enim hoc loco ſimplices homines, minimeque fallaces appellat, qui ſe ad hanc propter Deum humilitatem depreſſerunt, abjecti neglectique à plerisque ac contempticii. Et quod valde mirandum, me, inquit, recipit, qui hujusmodi receperit. Quemadmodum autem honorem illis regnumque, qui tales honoraverint, ita & ſupplicium iis, qui ſcandalizaverint, contumeliaque unum ex iſtis affecerint, adjudicavit. Tu autem &c.

Te Deum laudamus.

In Feſto Beati JOANNIS de DUKLA.

Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis præter ea, quæ ſequuntur

ORATIO.

DEUS, qui Beatum Joannem Confeſſorem tuum maximæ humilitatis, & patientiæ donis decorâſti: concede propitius, ut ejusdem imitantes exempla, conſequamur & præmia. Per.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

JOANNES in Oppido Dukla Poloniæ Regni honestis parentibûs natus, ab infantia futuræ Sanctimoniæ non obscura præbuit indicia: Divina siquidem benedictione præventus, nihil ab uberibus matris suæ in ore frequentius, quàm Sacrosancta JESU, & MARIÆ Nomina, habere consuevit. Christianæ perfectionis desideriô incensus adhuc adolescens Regulam Sancti Patris Francisci apud Minores Conventuales professus est: eo successu, ut una cum ætate creverit etiam in eo eminentiorum virtutum exercitatio; & ob singularem humilitatem, gravitatem morum, & effusam in omnes charitatem Fratribus evaserit acceptissimus. Ad Religionis munia inventus maximè idoneus, pluribus Cænobiis ex obedientia præfuit, & Lèópolitanam Custodiam summa cum laude administravit.

LECTIO V.

A Sancto Joanne à Capistrano per Casimirum Regem sub id temporis in Poloniam evocato, Fratribus Minorum de observantia adscriptus, præconceptam sui expectationem abundè cumulavit. Nam Orationi & Cœlestium rerum contemplationi acriùs insistere, erga Fratres, ac Proximos nullum charitatis officium prætermittere, in deliciis habuit. Regularis Observantiæ adeo zelator extitit, ut non sine lachrymis vel minimam negligi Sanctæ institutionis partem animadverteret, eoquę vel unô libellô ditissimus, illum ferè quotidie aut ipse per se legeret, aut ab alio sibi perlegi oblectaretur. Nihil illo tolerantius in laboribus, in vigiliis; & voluntaria corporis afflictatione, nihil continentius in victu, & vestitu fuit. Beatam Virginem MARIAM singulari prosequebatur devotionis affectu. Ad hæc miri-

rificam diffidentes componendi gratiam, insignem castitatem, & alacrem addidit obedientiam.

LECTIO VI.

PRædicationis vim & efficaciam ad profectum attulit animarum, maximè in Ruthenis Schismaticis, & Armenis confutandis, quos ad Catholicæ Fidei unionem revocare omni ope ſategit. A cæleſtis vitæ tramite aberrantes, quamvis ex diutino morbo captus oculis, qua concionibus; qua ſacris Confeſſionibus audiendis in rectam viam reducere nunquam deſtitit: Demum ſeptuagenarius gravium infirmitatum doloribûs eximia patientiâ toleratis, munitus Eccleſiæ Sacramentis, & Pſalmis Pænitentialibûs recitatis: Leópoli ipſo die feſto S. Michaelis Archangeli; obdormivit in Domino, Annô milleſimo quadringenteſimo quarto. Ejus vitæ, atque obitûs ſanctimonia, & miraculorum fama apud Polonos præſertim & Lithvanos magno ſemper in honore fuit. Quare ſummus Pontifex Clemens XII. Beati JOANNIS cultum ratum habuit; ipſumque à Polonis, & Lithvanis inter primarios Patronos allectum ampliori veneratione coli in poſterum Apoſtolica benignitate conceſſit.

In tertio Nocturno.

LECTIO VIII.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Lucam. c. 11.

IN illo tempore: dixit JESUS Diſcipulis ſuis. Nolite timere puſillus grex. Et reliqua.

De Homilia Sancti Petri Chryſologi Epiſcopi.

HOdie Dominus Evangelici gregis puſilla & tenera primordia, quam blanda exhortatione ſit conſolatus; audiſtis. Nolite timere inquit puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro, dare vobis Regnum. Aufert ſpes anxias, dubios tollit eventus, omnemque propellit & excludit timorem, quando in

exor-

exordio ipſum Regnum naſcentibus pollicetur, quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis Regnum. Quis de fructu, quis de veſtitu, quis de plebeio cenſu & vernalis ceſpitis vilitate ſuſpirat? de Regno certus, de dominatione ſecurus ſatis ſibi invidet, qui elevatus ad ſumma, ſe ad humilia deicit, ad egena deponit. ℟. Iſte eſt qui ante Deum &c.

LECTIO VIII.

SEd ſcire convenit Pater iſte quis eſt? vel qualis eſt? vel quod Regnũ filiis ſuis repromittit. Quis ſit iſte Pater, quotidie te confitente cognoſcis, cùm clamas: Pater noſter qui es in cœlis, qualis autem ſit? ipſa operum magnitudine prævidiſti; ex nihilo fecit Cœlum, terram ſolidavit ex liquido, montes ſtatuit ad ſtateram, maria inter legitimos terminos ſola præcepti authoritate concluſit. Verùm ſi regni, quod promittit puſillis, deſideras noſſe qualitatem? ipſe aperit, ſic dicendo: ſinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum Cœlorum.

℟. Sint lumbi veſtri &c.

LECTIO IX.

ESſe in Cœlo mirum eſt, in Cœlo vivere, eſt majeſtatis, jam regnare in Cœlo, quanti eſt? Senſus deſinit æſtimare mortalis, & tamen homo quod æſtimare non potes, percepiſti, Apoſtolô ſic dicente: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Et quod te mereri dubitas, habere te, & poſſidere, jam cogeris confiteri. Quid ergo cum terra illi, qui poſſidet Cœlum, quid illi cum humanis, qui adeptus jam eſt divina? niſi fortè placent gemitus, eliguntur labores; amantur pericula, peſſima mors delectat, & illata mala bonis ſunt gratiora collatis.

Miſſa de Communi primo loco. *Evangelium* ex eodem Communi 2do loco.

In Festo S. CAMILLI de Lellis Conf. sdx.

Omnia de Com: Confessoris non Pontificis exceptis iis quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS qui S. Camillum, ad animarum in extremo agone luctantium subsidium singulari charitatis prærogativa decorasti, ejus quæsumus meritis Spiritum nobis tuæ dilectionis infunde; ut in hora exitus nostri hostem vincere, & ad Cœlestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum nostrum, in unitate ejusdem &c.

In primo Noct: Lect: de Scrip:

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

CAmillus Bucclanici Theatinæ Diœcesis Oppido ex nobili Lelliorum familia natus est Matre sexagenaria, cui gravidæ visum est per quietem, puerulum Crucis signo in pectore munitum, & agmini puerorum idem signum gestantium præeuntem, se peperisse. Adolescens rem militarem secutus, sæculi vitiis aliquamdiu indulsit; donec vigesimum quintum agens ætatis annum, tanto supernæ gratiæ lumine, Divinæque offensæ dolore correptus fuit, ut uberrimo lacrymarum imbre illico perfusus, anteactæ vitæ sordes indesinenter abstergere, novumqae induere hominem firmiter decreverit. Quare ipso, quo id contigit Purificationis Beatissimæ Virginis festo die, ad Fratres Minores, quos Capucinos vocant, convolans, ut eorum numero adscriberetur, summis precibus exoravit. Voti compos semel, atque iterum factus est; sed fœdo ulcere, quo aliquando laboraverat, in ejus tibia iterato recrudescente, Divinæ Providentiæ majora de eo disponentis consilio humiliter se subjecit, suisque victor, illius Religionis bis expetitum, & susceptum habitum bis dimisit.

LE-

LECTIO V.

ROmam profectus, in Nosocomium, quod Insanabilium dicitur, receptus est, cujus etiam administrationem ob perspectas ejus virtutes sibi demandatam, summa integritate ac solicitudine verè paterna peregit. Omnium ægrotorum servum se reputans, eorum sternere lectulos, sordes tergere, ulceribus mederi, agonique extremo piis precibus & cohortationibus opem ferre solemne habuit: quibus in muneribus præclara præbuit admirabilis patientiæ, invictæ fortitudinis, & heroicæ charitatis exempla. Verum cum animarum in extremis periclitantium, quod unice intendebat, levamini subsidium litterarum plurimum conferre intelligeret, triginta duos annos natus, in primis grammaticæ elementis tyrocinium inter pueros iterum subire non erubuit. Sacerdotio postea rite initiatus, nonnullis sibi adjunctis sociis, prima iecit Congregationis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium fundamenta, irrito conatu obnitente humani generis hoste: Nam Camillus cœlesti voce è Christi crucifixi, manus etiam de ligno avulsas admirando prodigio protendentis, simulacro emissa mirabiliter confirmatus. Ordinem suum à Sede Apostolica approbari obtinuit. Sodalibus quarto obstrictis maxime arduo voto, Infirmis, quos etiam pestis infecerit, ministrandi. Quod institutum quam foret Deo acceptum, & animarum saluti proficuum, Sanctus Philippus Nerius qui Camillo à sacris Confessionibus erat comprobavit, dum ejus alumnis decedentiũ agoni opem ferentibus Angelos suggerentes verba sæpius se vidisse testatus est.

LECTIO VI.

ARctioribus hisce vinculis ægrotantium ministerio mancipatus, mirum est, qua alacritate, nul-

nullis fractus laboribus, nullis deterritus vitæ periculis, diu noctuque ad supremum usque spiritum, eorũ commodis vigilaverit. Omnibus omnia factus, vilissima quæque officia demississimo obsequio, flexisque genibus, veluti Christum ipsum cerneret in infirmis, hilari, promptoque animo arripiebat: atque omnium indigentiis præsto esset, Generalem Ordinis Præfecturam, cælique delicias, quibus in contemplatione defixus affluebat, sponte demisit. Paternus vero illius erga miseros amor tum maxime effulsit, cum & Urbs contagioso morbo primum, deinde extrema annonæ laboraret inopia, & Nolæ in Campania dira pestis grassaretur. Tanta denique in Deũ, & proximum charitate exarsit, ut Angelus nuncupari, & Angelorum opem in vario itinerum discrimine promereretur. Prophetiæ dono, & gratia sanitatum præditus, arcana quoque cordium inspexit: ejusque precibus nunc cibaria multiplicata sunt, nunc aqua in vinum conversa. Tandem vigiliis, jejuniis, & assiduis attritus laboribus, cum pelle tantum & ossibus constare videretur, quinque molestis æque ac diutinis morbis, quos Misericordias Domini appellabat, fortiter toleratis, Sacramentis munitus, Romæ inter suavissima Jesu & Mariæ nomina, ad ea verba: Mitis, atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat: qua prædixerat hora, obdormivit in Domino pridie Jdus Julii, anno salutis milesimo sexcentesimo decimo quarto, ætatis suæ saxagesimo quinto: Quem pluribus illustrem miraculis Benedictus Decimus quartus solemni ritu Sanctorum fastis adscripsit.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 15.

Lectio S. Evangelii secundùm Joannem.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis: Hoc

est

eſt præceptum meum, ut diligatis invicem ſicut dilexi vos. Et reliqua.

Homilia Sancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract: 83. in Joan: Evang:

QUid putamus, Fratres mei, numquidnam ſolum ejus de iſta dilectione mandatum eſt, qua diligimus invicem? Nonne eſt & aliud majus ut diligamus Deum? Aut vero de ſola Deus nobis dilectione mandavit, ut alia non requiramus? Tria certe commendat Apoſtolus dicens: Manent autem Fides, Spes, Charitas, tria hæc; major autem horum Charitas. Et ſi in Charitate, hoc eſt, in dilectione, concluduntur duo illa præcepta, major tamen dicta eſt eſſe, non ſola. De Fide igitur nobis quam multa mandata ſunt, quam multa de Spe: Quis poteſt cuncta colligere, quis enumerando ſufficere? Sed intueamur quod ait idem Apoſtolus: plenitudo legis Charitas.

L E C T I O VIII.

UBi ergo Charitas eſt, quid eſt, quod poſſit deeſſe? Ubi autem non eſt, quid eſt, quod poſſit prodeſſe? Dæmon credit, nec diligit: nemo diligit, qui non credit. Fruſtra quidem, ſed tamen poteſt ſperare veniam, qui non diligit: nemo poteſt deſperare, qui diligit. Itaque ubi dilectio eſt, ibi neceſſario Fides & Spes: & ubi dilectio proximi, ibi neceſſario etiam dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tanquam ſe ipſum? quandoquidem non diligit & ſeipſum; eſt quippe impius, & iniquus: qui autem diligit iniquitatem, non plane diligit, ſed odit animâ ſuam.

L E C T I O IX.

HOc ergo præceptum Domini teneamus, ut nos invicem diligamus; & quidquid aliud præcepit, faciamus: quoniam quidquid eſt aliud, hic habemus.

Diſcernitur quippe iſta dilectio ab illa dilectione, qua ſe invicem diligunt homines, nam ut diſcerneretur, adjunctum eſt: Sicut dilexi vos. Utquid enim diligit nos Chriſtus, niſi ut regnare poſſimus cum Chriſto? Ad hoc ergo & nos invicem diligamus, ut dilectionem noſtram diſcernamus à cæteris, qui non ad hoc ſe invicem diligunt, quia nec diligunt. Qui autem ſe propter habendum Deum diligunt, ipſi ſe diligunt; ergo ut ſe diligant; Deum diligunt: Non eſt hæc dilectio in omnibus hominibus: Pauci ſe propterea diligunt, ut ſit Deus omnia in omnibus.

Te DEUM Laudamus &c.

In Feſto Beati SIMONIS de LIPNICA

Confeſſoris Ordinis Minorum de Obſervantia.
Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter Orationem, & Lectiones.

ORATIO.

COncede quæſumus Omnipotens & miſericors Deus, ut B. Simonis Confeſſoris Tui præclara merita nobis proficiant, & tua gratia quam precamur nos dignos efficiant, in qua firmati, tuæ gloriæ ſimus annumerati. Per Dominum noſtrum, &c.

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

SImon in Oppido Lipnica Regni Poloniæ, piis honeſtisque Parentibus natus, ab ineunte ætate non obſcuras exhibuit futuræ virtutis ſignificationes; nā & Deiparam ſummo ſtudio colebat, & pueriles ludos aſpernabatur. Cracoviam ſtudiorum cauſa miſſus, ibidem ſumma cum laude verſatus eſt, & bonis artibus liberalibusque Diſciplinis eruditus, in ea Academia primum gradum obtinuit. Sed non ita multo

poſt

poſt quam Ordo Minorum Obſervantium S. Joannis à Capiſtrano operâ tunc tēporis in Poloniā invectus ſanctitatis famâ clareret, illud vivendi inſtitutum, ut Deo liberius inſerviret, amplexus eſt.

LECTIO V.

IN Religione rerum cæleſtium contemplationi aſſiduè addictus, corpus cilicio, flagellis, longâque eſurie macerabat. Ferventiſſimo erga Deiparam amore actus, plures horas quotidie in precibus eidem fundendis ſuaviter impendebat, diebusque illi ſacris cilicio, quod continenter geſtare conſuevit, aliud aſperius ſuperaddebat. Præ maximâ animi demiſſione viliſſima quæque Cœnobii munera obire, hominū præconia, honoresque fugere, convicia vero, & adverſa patientiſſime ferre ſolemne habuit. Caſtitatis perpetuus cuſtos, à mulierum conſpectu ſemper abhorruit. Delato ſibi concionandi munere, tanta eloquentia, tantoque fervore functus eſt, ut plures è vitiorū cænô ad rectā ſalutis ſemitā reduxerit, plures etiam ad mundi contemptum pertraxerit.

LECTIO VI.

MArtyrii æſtuans deſiderio, in Paleſtinam non ſine magnis itineris incommodis profectus eſt. Sed ſpe ſublata Martyrii, poſtquam loca illa, in quibus redemptionis noſtræ myſteria acta ſunt, intima, effusaque ſpiritus conſolatione viſitaſſet, Cracoviam reverſus eſt. Ubi conſuetis exercitationibus ſedulam operam navabat. Denique cum peſtilentiæ morbus in eadem Urbe maxime graſſaretur, & Simon, ut erat charitatis plenus, ægrotantibus Sacramenta adminiſtrare, monita ſalutis exbibere quoquo modo opitulari non prætermitteret, eodem, & ipſe morbo correptus, ad extremum vitæ pervenit. Itaque mortem nihil timens cupiens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, oculis in Chriſti è Cruce pendentis ima-

imaginem defixis, ſpiritum placidiſſime Deo reddidit, Anno à partu Virginis millesimo quadringentesimo octuagesimo ſecundo, quintodecimo Kalendas Auguſti. Ejus corpus in Eccleſia Sancti Bernardini Sui Ordinis prope Cracoviam elatũ, innumeris cœpit clarere miraculis. Quare paucos poſt annos, ut Fidelium cultui fieret ſatis, in nobiliorem locum translatum eſt. Hunc autem cultum, ab hominum memoria eidem exhibitum Apoſtolica Sedes comprobavit.

In Feſto S. HIERONYMI ÆMILIANI Confeſſoris. Duplex.

Omnia de Communi Confeſſ. non Pontif. præter ea, quæ ſequuntur.

In Hymn. Jſte Confeſſor, *mutatur tertius verſus.*

ORATIO.

DEUS Miſericordiarum Pater, per merita, & intercesſionem Beati Hieronymi, quem Orphanis adjutorem, & patrem eſſe voluiſti, concede, ut ſpiritum adoptionis, quo filii tui nominamur, & ſumus fideliter cuſtodiamus. Per Dominũ noſtrũ &c.

In primo Nocturno de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

HIeronymus è gente Patricia Æmiliana Venetiis ortus, à prima adoleſcentia militiæ addictus, difficillimis Reipublicæ temporibus Caſtro novo ad Quarum in montibus Tarviſinis præficitur. Arce ab hoſtibus capta, ipſe in teterrimum carcerem detruditur, manibus, ac pedibus vinctus; cui omni humana ope deſtituto Beatiſſima Virgo ejus precibus exorata, clemens adeſt, vincula ſolvit, & per medios hoſtes, qui vias omnes obſederant, in Tarviſii conſpectum incolumem ducit. Urbem ingreſſus, ad Dei-

paræ

paræ aram, cui ſe voverat, manicas, compedes, catenas, quas ſecum detulerat, in accepti beneficii teſtimonium ſuſpendit. Reverſus Venetias cæpit pietatis ſtudia impenſius colere, in pauperes mire effuſus, ſed puerorum præſertim miſertus, qui parentibus orbati, egeni, & ſordidi per Urbem vagabantur, quos in ædes à ſe conductas recepit de ſuo alendos, & Chriſtianis moribus imbuendos.

℞. Honeſtum fecit &c.

LECTIO V.

PEr eos dies Venetias appulerant B. Cajetanus, & Petrus Caraffa poſtmodum Paulus Quartus, qui Hieronymi ſpiritu, novoque inſtituto colligendi Orphanos probato, illū in Incurabilium Hoſpitale adduxerunt, in quo Orphanos ſimul educaret, atque ægrotis pari charitate inſerviret. Mox eorumdem hortatu in proximam continentem profectus, Brixiæ primum, deinde Bergomi, atque Novocomi Orphanothrophia erexit, Bergomi præſertim, ubi præter duo, pro pueris unum, & pro puellis alterum, domum excipiendis, novo in illis regionibus exemplo, mulieribus à turpi vita ad pœnitentiam converſis, aperuit. Somaſchæ demum ſubſiſtens, in humili pago agri Bergomenſis ad Venetæ ditionis fines, ſibi, ac ſuis ibi ſedem conſtituit, formamque induxit Congregationis, cui propterea à Somaſcha nomen factum, quam ſubinde auctam, & propagatam, nedum Orphanorum regimini, & Eccleſiarum cultui, ſed ad majorem Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem Adoleſcentium in litteris, & bonis moribus inſtitutioni, in Collegiis, Academiis, Seminariis addictam Sanctus Pius Quintus inter Religioſos Ordines adſcripſit, cæterique Pontifices privilegiis ornarunt.

℞. Amavit eum &c.

LE-

LECTIO VI.

ORphanis colligendis intentus Mediolanum proficiſcitur, atque Ticinum, & utrobique collectis agminibus puerorum tectum, victum, veſtem, Magiſtros, Nobilibus Viris faventibus, provide conſtituit. Inde Somaſcham redux, omnibus omnia factus à nullo abhorrebat opere, quod in proximi bonū cedere prævideret. Agricolis immixtus per agros ſparſis, dum ſe illis adjutorem in metendis frugibus præbet, myſteria fidei explicabat, puerorum capita porrigine fæda abſtergens, & patienter tractans curabat, putridis ruſticorum vulneribus medebatur eo ſucceſſu, ut gratia curationum donatus cenſeretur. In monte, qui Somaſchæ imminet, reperta ſpecu in illam ſe abdidit, ubi ſe flagellis cædens, dies integros jejunus tranſigens, oratione in plurimam noctem protracta, ſuper nudo ſaxo brevem ſomnum carpens ſui, aliorumque noxarum pœnas luebat. In hujus ſpecus interiori receſſu ex arido ſilice extillat aqua precibus Servi Dei, ut conſtans traditio eſt, impetrata, quæ usque in hodiernam diem jugiter manans, in varias regiones delata ægris ſanitatem plerumque conciliat. Tandem ex contagione, quæ per omnem vallem ſerpebat, dum ægrotantibus & vita functos propriis humeris ad ſepulturam defert, contracto morbo annos natus ſex, & quinquaginta, quam paulo ante prædixerat, pretioſam mortem obiit anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſeptimo; quem pluribus in vita, & poſt mortem miraculis illuſtrem Benedictus Decimus qartus Beatorum, Clemens vero Decimus tertius Sanctorum faſtis ſolemniter adſcripſit. ℟. Jſte homo &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 19. v. 13.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Matthæum.

In

IN illo tempore oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, & oraret. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chryſoſtomi.

Homil: 62. in Matth.

CUr Diſcipuli pueros abigebant? Dignitatis cauſa. Quid ergo ille? ut doceat illos modeſte ſapere, faſtumque mundanum conculcare, & ſuſcipit, & ulnis complectitur, talibusque Regnum Cœlorum pollicetur, id quod etiam dixit ſuperius. Et nos igitur, ſi volumus hæredes eſſe Cœlorum, hanc virtutem cum diligentia magna ſectemur. Hoc eſt enim Philoſophiæ culmen, ſimplicem eſſe cum prudentia. Hæc vita eſt Angelica. Anima enim pueruli omnibus animi morbis vacua eſt: non memoria retinet injuriam, ſed eas inferentes adit, ut amicos, ac ſi nihil factum eſſet. Et quamvis à matre verberibus cædatur, eam ſemper quærit, & omnibus anteponit.

℟. Jſte eſt, qui &c.

L E C T I O VIII.

SI Reginam ipſi oſtendas diademate ornatam, non præfert eam Matri pannis detritis veſtitæ, malletque illam incultam videre, quam Reginam mirifice amictam. Nam quod ſuum, quod alienum eſt, non ex paupertate, vel divitiis, ſed ex amore exiſtimare ſolet, & nihil plus requirit, quam neceſſaria, atque ut lacte repletus eſt, ſtatim à mamma abſcedit. Non iisdem, quibus nos, ærumnis premitur, nec pecuniarum jactura, rebusque ſimilibus, nec iisdem, quibus nos, fluxis rebus lætatur, neque corporum pulchritudinem miratur. Ideo dicebat: Talium eſt enim Regnum Cœlorum, ut ex propoſito voluntatis illa operemur, quæ natura ſua pueri faciunt.

℟. Sint lumbi veſtri &c.

LECTIO IX.

QUia enim Pharisæi non aliunde, quam à nequitia, & arrogantia ad agendum ferebantur, ubique Discipulos suos semplices esse jubet, illosque subindicat, dum hos instituit. Nihil enim ita superbiam parit, ut principatus, & primi consessus. Quoniam igitur Discipuli per totum terrarum orbem multum honoris consecuturi erant, ipsorum animos prævenit, nec sinit eos humanum quid pati, nec honorem à vulgo expetere, vel ante alios se se efferre. Nam etiamsi hæc parva videntur esse, at malis ingentibus causam præbent. Sic enim instituti Pharisæi in malorum culmen ascenderunt; salutationes, primos consessus, & medios requirentes, hinc in ardentem gloriæ cupiditatem, inde verò in impietatem lapsi sunt.

AUGUSTUS.

In Festo S. JOHANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT de CHANTAL

Ordinis Sanctimonialium Visitationis Sanctæ MARIÆ Fundatricis.

Duplex.

Omnia de Communi nec Virginum, nec Martyrum præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

OMnipotens, & misericors DEUS, qui Beatam Johannam Franciscam tuo amore succensam admirabili Spiritus fortitudine per omnes vitæ semitas in via perfectionis donasti, quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis, & precibus concede, ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, cœlestis gra-

gratiæ auxilio, cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum nostrum &c.

In primo Nocturno Lectiones de script: occur:

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

JOHANNA FRANCISCA Fremiot à Chantal Divione in Burgundia clarissimis orta natalibus, ab ineunte ætate, eximiæ Sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquennem, nobilem quendam Calvinistam, solida, supra ætatem, argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum, flammis illico tradidisse in hæc verba: En quomodo hæretici apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata, Deiparæ Virginis tutelæ se commendavit; & famulam, quæ ad mundi amorem eam alliciebat, à se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens, à sæculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans, religioni, ac pietati impensè studebat. Baroni de Chantal, nuptui, à Patre tradita virtutibus omnibus excollendis operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subjectos, in fidei doctrina, bonisque moribus imbuere satagens; profusa liberalitate, pauperum inopiam sublevabat, annonâ divinitus non raro multiplicata: quo factum est, ut nemini se unquam Christi nomine roganti stipem, abnegaturam spoponderit.

LECTIO V.

VIrô in venatione interempto, perfectioris vitæ consilium iniens, continentiæ voto se obstrinxit, Viri necem, non solum æquo animo tulit, sed in publicum indultæ veniæ testimonium, occisoris filium è sacro fonte suscipere, sui victrix elegit. Modica familia, tenui victu, atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus convertit. Quidquid

quid à domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat. Nunquam adduci potuit, ut alteras nuptias, quamvis utiles, & honorificas iniret. Ne autem à proposito castimoniæ observandæ in posterum dimoveretur, illius voto innovato, Sanctissimum JESU nomen, candenti ferro, pectori insculpsit. Ardentius indies charitate fervescens, pauperes, derelictos, ægros, teterrimisque morbis infectos ad se adducendos curabat; eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovebat, verum etiam sordidas eorumdem vestes depurgabat, laceratas reficiebat, & manantibus fœtido pure ulceribus labia admovere non exhorrebat.

LECTIO VI.

A Sancto Francisco Salesio, quo, spiritûs moderatore usa fuit, divinam voluntatem edocta, propriũ Parentem, Socerum, Filiũ denique ipsum, quem etiam, vocationi obsistentem, sua è domo egrediens, pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, & sacri Instituti Visitationis S. Mariæ, fundamenta jecit. Ejus Instituti leges integerrimè custodivit, & adeo paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianæ verò animi demissionis, & obedientiæ, virtutum denique omnium, perfectissimum exemplar se præbuit. Altiores in corde suo ascensiones disponens, arduissimo, efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique sacro Visitationis Instituto, ejus potissimum operâ longe, lateque difuso; verbo, exemplo, & scriptis etiam divina sapientia refertis, ad pietatem, & charitatem Sororibûs excitatis, meritis referta, & Sacramentis rite susceptis, Molinis, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, die decima tertia Decembris

bris migravit ad Dominũ, ejusque animam, occurrente S. Francisco Salesio, in cœlos deferri, S. Vincentius à Paulo procul distans aspexit. Ejus corpus postea Annecium translatũ fuit; Eamque miraculis ante & post obitum claram Benedictus XIV. Beatorum, Clemens verò XIII. P. M. albo Sanctorum adjecit.

OFFICIUM PROPRIUM

Cum Octava

In Festo S. JOACHIM Genitoris Bmæ MARIÆ Virginis. Protectoris Regni Poloniæ.

Dominica 2da *post Octavam Assumptionis Bmæ MARIÆ Virginis.*

Ad Vesperas Antiphona.

Laudemus Virum gloriosum, *cum reliquis de Laudibus. Psalmi:* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimo.*

Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum Eccl. 44.

LAudemus Viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à sæculo. ℟. Deo gratias.

H Y M N U S.

TE gentes JOACHIM Christiadæ canant,
Te Patrem celebrent Virginis inclytæ,
Cui majora Deus Dona benignior
Divis contulit omnibus.

Nam mundo Dominam Conjuge cum tua
ANNA protuleras, qua fuit editus
Agnus, qui maculas, crimina qui tulit,
Pendens è trabe lignea.

Devotis precibus læta Polonia
Te felix JOACHIM conciliat sibi

Ut Sanctis meritis ſarmaticis plagis
Pacis munera conferas.
Te Prolem generas, qui Tibi comparem,
Te per quem genitor Sæcula condidit,
Te Fons, unde fluunt munera Gratiæ
Tellus aſtraque perſonant. Amen.

℣. Potens in terra erit ſemen ejus.

℟. Generatio rectorum benedicetur.

Ad Magnificat, Antiphona.

LAudemus Virum glorioſum in generatione ſua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & Teſtamentum ſuum confirmavit ſuper caput ejus.

ORATIO.

DEUS, qui præ omnibus Sanctis tuis Beatũ Joachim Genitricis Filii tui Patrem eſſe voluiſti, concede quæſumus, ut cujus Feſta veneramur, ejus quoque perpetua patrocinia ſentiamus. Per eundem Dominum &c.

Deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Laudemus Deum noſtrum: * In veneratione Beati Joachim Protectoris noſtri. *Pſalm.* Venite.

Hymnus, *ut in Veſperis.*

In primo Nocturno.

Antip: Vir juſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit.

Pſalm. Beatus Vir, *cum reliquis de Comm. Conf. non Pontif.*

Antip. De omni Corde ſuo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum.

Antip: Magnus factus eſt in terra ſua, & præclarus in univerſo populo.

℣. Juſtus tota die miſeretur, & commodat.

℟. Et ſemen ejus in benedictione erit.

Pater

Pater noster. *Absolutio.* Exaudi Domine.
Benedict. Benedictione perpetua.

LECTIO I.

De Libro Ecclesiastici. Cap. 44.

LAudemus Viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo. Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, & prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum & imperantes, in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis Sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum.

℟. Ecce qui in vita sua suffulsit Domum: * Et adeptus est gloriam in conservatione gentis.

℣. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet. Et adeptus est gloriam.

LECTIO II.

HOmines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes: pacificantes in Domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriâ adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum, & sunt, quorum non est memoria; perierunt; quasi qui non fuerunt, & nati sunt, quasi non nati, & filii ipsorum cum ipsis.

℟. Viam sapientiæ monstravit illi: * Quasi lux splendens semita ejus processit, & crevit, usque ad perfectam diem. ℣. Rectos fecit Dominus cursus ejus, & itinera illius in pace produxit. Quasi lux.

LECTIO III.

SEd illi Viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona. Hæreditas Sancta nepotes eorum: & in te-

ſtamentis ſtetit ſemen eorum, & filii eorum propter illos usque in æternum manent. Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem; Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Eccleſia.

℟. Dedit Celebrationibus decus, & ornavit tempora usque ad conſummitionem vitæ: * Ut laudarent nomen Sanctum Domini.

℣. Factum eſt illi teſtamentum æternum, & ſemini ejus ſicut dies Cœli. Ut laudarent.

Gloria Patri. Ut laudarent.

In ſecundo Nocturno.

Antiph: Dilectus Deo, & hominibus cujus memoria in benedictionibus eſt. *Pſalm.* Cum invocarem. *Ut in Comm: Conf: non Pontif:*

Antiph: Magnus fuit ſecundum nomen ſuum, maximus in ſalutem electorem Dei.

Antiph: Hæreditavit honorem in populo, & nomen illius erit vivens in æternum.

℣. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.

℟. Et teſtamentum ſuum confirmavit ſuper caput ejus.

Pater noſter. *Abſolutio,* Ipſius pietas.

Benedict: Deus Pater Omnipotens.

Lectiones II. Noctur: ut in Breviario.

℟. In omni opere dedit Confeſſionem Sancto, & excelſo in Verbo gloriæ: * Glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus.

℣. De omni corde ſuo dilexit Dominum. Glorificavit eum, & laudavit.

℟. Dedit illi Dominus gloriam: * exaltavit ſemen ejus usque ad terminos terræ.

℣. Di-

℣. Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt. Et exaltavit Semen.

℟. Dilatavit gloriam populo ſuo: * Et directa eſt ſalus in manu ejus. ℣. Lætificavit Jacob in operibus ſuis, & in ſæculum memoria ejus in benedictione. Et directa eſt.

Gloria Patri. Et directa eſt.

In Tertio Nocturno.

Antiph. In fide, & lenitate ipſius, Sanctum fecit illum, & legit eum ex omni carne.

Pſalm. Domine quis. *Ut in Comm: Conf: non Pontif:*

Antiph. Factum eſt illi teſtamentum æternum, & ſemini ejus, ſicut dies Cœli.

Antiph. Dilatavit gloriam populo, & directa eſt ſalus in manu ejus.

℣. Gloria & divitiæ in domo ejus.

℟. Et juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.

Pater noſter. *Abſolutio.* A vinculis.

Benedict: Evangelica lectio.

Lectiones III. Noct: ut in Breviario.

℟. Benedictionem omnium gentiũ dedit illi Dominus: * Et teſtamentum ſuum confirmavit ſuper caput ejus. ℣. Non recedet memoria illius, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Et teſtamentum ſuum.

℟. Juſtus germinabit ſicut lilium: * & florebit in æternum ante Dominum.

℣. Plantatus in Domo Domini, in atriis Domus Dei noſtri. Et florebit.

Gloria Patri. Et florebit.

Benedict: Per Evangelica dicta. *Homilia 9. lect. Dominicæ.* Te Deum laudamus.

Ad Laudes & per Horas.

Antiph: Laudemus Virum glorioſum in generatio-

tione ſua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. *Pſalm.* Dominus regnavit, *cum reliquis ut in Dom.*

Antiph: Potens in terra erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur.

Antiph: Magnus Pater multitudinis genitũ, quaſi terræ cumulus crevit à mari, usque ad mare.

Antiph: Dedit illi Dominus gloriam, & exaltavit ſemen ejus, usque ad terminos terræ.

Antiph: Factum eſt illi teſtamentum æternum, & ſemini ejus ſicut dies Cœli.

Capitulum Eccl. Cap. 44.

LAudemus Viros glorioſos, & Parentes noſtros in generatione ſua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia ſua à ſæculo.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

AD tuas Aras JOACHIM propinquat
Hic Chorus noſter, celebratque laudes
Corde devoto, memorans quod ex Te
Gratia prodit.
Væ tibi dictum ſterili tuæque
Conjugi, quondam peperit dolorem,
Gaude cum tamen dedecus Sacrata
Abſtulit infans.
Virginum Virgo facit orta toti
Gaudia mundo, parit illa quippe,
Qui necem vincat, tribuens beatæ
Munera vitæ.
Longa Te Regum ſeries, Ducumque
Anteit, priſcos numerando Patres,
Hi Redemptorem procul intuentes
Tu Pater edis.
O tui felix Ave Conditoris,
Quem Patres inter veneratus Orbis

Su-

Suscipit, nobis, humiles precamur
Annue dexter.
Sit decus Patri genitæque Proli,
Et tibi compar utriusque semper
Spiritus alme, Deus unus omni
Temporis ævo.

℣. Justus germinabit sicut lilium.
℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dedit illi Dominus gloriam, & exaltavit semen ejus usque ad terminos terræ. Non recedet laus ejus ex ore hominum, qui memores fuerunt virtutis Dei, Alleluja.

ORATIO.

DEUS, qui præ omnibus Sanctis tuis Beatũ Joachim Genitricis Filii tui Patrem esse voluisti, concede quæsumus, ut cujus Festa veneramur, ejus quoque perpetua patrocinia sentiamus. Per eundem Dominum &c.

Deinde fit Comm: Dominicæ occurrentis.

Ad Tertiam.

Antiph: Potens in terra.

Capitulum.

LAudemus Viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo. ℟. Deo gratias.

℟. *br.* Benedictionem omnium gentium: * Dedit illi Dominus. ℣. Et testamentum suum confirmavit super caput ejus. Dedit illi Dominus. Gloria Patri. Benedictionem omnium.

℣. Factum est illi testamentum æternum.
℟. Et semini ejus sicut dies Cœli.

Ad Sextam.

Antiph: Magnus Pater.

Capitulum Eccl: 44.

IN generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt, & in diebus ſuis habentur in laudibus, qui de illis nati ſunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum.

℟. *br.* Factum eſt illi: * Teſtamentum æternum.

℣. Et ſemini ejus ſicut dies Cœli. Teſtamentum æternum.

Gloria Patri. Factus eſt illi.

℣. Juſtus germinabit: Sicut lilium.

℟. Et florebit in æternum ante Dominum.

Ad Nonam.

Antiph: Factum eſt.

Capitulum Eccl: 44.

CUm ſemine eorum permanent bona. Hæreditas Sancta Nepotes eorum, & in Teſtamentis ſtetit ſemen eorum.

℟. *br.* Juſtus germinabit: * Sicut lilium.

℣. Et florebit in æternum ante Dominum, ſicut lilium.

Gloria Patri. Juſtus germinabit.

℣. Juſtus tota die miſeretur, & commodat.

℟. Et ſemen ejus in benedictione erit.

In 2. Veſp: Antiph: Pſal: Capit: Hymn: ℣. ut in Veſp:

Ad Magnificat, Antiphona.

DIlatavit gloriam populo ſuo, & directa eſt ſalus in manu ejus. Lætificavit Jacob in operibus ſuis, & in ſæculum memoria ejus in benedictione.

Comm: Dominicæ occurrentis.

Secunda die infra Octavam S. JOACHIM

Lectiones I. Noct: de script: occurr:

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

Sermo Sancti Joannis Damasceni.

Orat: 1. de V. MARIÆ Nativ: post initium.

AD miraculorum fontem revertor, ac lætitiæ fluentis ingurgitatus Citharam Spiritus rursus ferio, & natalitium hymnum cano. O castissimum ratione prædictarum turturum par JOACHIM & ANNA! Vos ut naturæ legi consentaneum erat, pudicitia conservata, ea, quæ naturam superant, Divinitus consecuti estis. Vos pie, ac Sancte in humana natura versati, Angelis superiorem, ac nunc Angelis dominantem Filiam in lucem extulistis. O pulcherrima & suavissima Filiola! O Lilium inter spinas, ex nobilissima & maxima radice ortum! Per Te Regnum Sacerdotiis opibus auctum est. Per Te legis translatio contigit, atque Spiritus, qui sub litera delitescebat, patefactus est, translata nimirū à Levitica Tribu ad Davidicam, sacerdotali dignitate.

℞. In omni opere dedit Confessionem Sancto, & excelso in verbo gloriæ: * Glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus. ℣. De omni corde suo dilexit Dominum. Glorificavit.

LECTIO V.

VInea uberrima ex Anna pullulavit, atque uvam suavissimam protulit, nectar mortalitatis fundentem in vitam æternam. JOACHIM & ANNA sibi ipsis ad justitiam seminarunt, ac vitæ fructum messuerunt. Illuminaverunt sibi ipsis lumen scientiæ, ac Dominum exquisiverunt, germenque justitiæ ipsis venit. Fiduciam terra concipiat, & filii

Sion

Sion gaudete in Domino Deo, quia germinavit desertum, sterilis protulit fructum suum. Joachim & Anna tanquam Spirituales montes dulcedinem stillarunt. Lætare Beata Anna, quoniam fœminam peperisti, Hæc enim fœmina, DEI Mater est: vitæ Porta, lucis fons, atque fœminarũ crimen dissolvit.

℟. Dedit illi Dominus gloriam: * Et exaltavit semen ejus usque ad terminos terræ.

℣. Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est. Et exaltavit.

LECTIO VI.

O Sacrum par JOACHIM & ANNA, natalitiam hanc orationem à me accipe. O Joachim, & Annæ Filia! ac Domina, peccatoris orationem accipe, ardenter tamen amantis ac colentis. Teque solam gaudii spem habentis, vitæ antistitem in gratiam cum Filio me reducentem, firmamque salutis arrham, peccatorum sarcinam discute, idque quod mentis meæ tenebras effundit, ac terrenam crassitatem dissipa. Pacem mundo, atque omnibus hujus Urbis Incolis recte de Religione sentientibus, absolutam numeris omnibus lætitiam, ac sempiternam salutem, pro tuorum Parentum, ac totius Ecclesiæ complementi preces concilia, fiat, fiat.

℟. Dilatavit gloriam populo suo: * Et directa est salus in manu ejus. ℣. Lætificavit Jacob in operibus suis, & in sæculum memoria ejus in benedictione. Et directa est.

Gloria Patri. Et directa est.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio S. Evangelij Secundùm Matthæum.

Liber generationis JESU Christi Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Jsaac, Jsaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homi-

Homilia S. Hilarii Episcopi.
Comment: in Matth: Can: 7.

NOn refert, quis in originis numero, atque ordine collecetur, dummodo universorum familia cæpta esse intelligatur ab uno. Itaque cum ejusdem tribus sint JOSEPH, & MARIA, dum profectus esse ex Abrahæ genere Joseph ostenditur, profecta quoque docetur & MARIA. Hæc enim in Lege ratio servata est, ut si mortuus sine filiis familiæ Princeps fuisset, defuncti uxorem posterior Frater ejusdem cognationis acciperet, susceptosque filios in familiam ejus, qui mortuus esset referret, maneretque ita in Primogenitis successionis ordo, cum patres eorum, qui post se nati essent, aut nomine haberentur, aut genere.

℟. Benedictionem omnium gentiū dedit illi Dominus: * Et testamentum suum confirmavit super caput ejus. ℣. Non recedet memoria illius, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Et testamentum suum.

L E C T I O VIII.

COnsequens illud est, ut quia diximus secundum rerum fidem generationis istius ordinem nec numero sibi, nec successione constare, hujus quoque rei ratio afferatur. Non enim levis causa est, ut aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis, & aliud referatur in summa, aliud verò teneatur in numero. Namque ab Abrahā usque ad David quatuordecim generationes numeratæ sunt, & à David usque ad Transmigrationem Babylonis in quibusdā libris decem & septem deprehenduntur. Sed in hoc non mendacii, aut negligentiæ vitiū est. Nam Joras genuit Ochoziam; Ochozias vero Joam, Joas deinde Amasiā, Amasias autem Oziam, & in Mathæo Joras Oziam genuisse scribitur, cum quartus ab eo

sit,

ſit, hoc ita: quia ex gentili fœmina Joras Ochoziã genuit, ex Achab ſcilicet, qui Jezabel habuit Uxorẽ.

℟. Juſtus germinabit ſicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in Domo Domini, in atriis Domus Dei noſtri. Et florebit. Gloria Patri. Et florebit.

LECTIO IX.

DEnique per Prophetam non niſi quarta generatione in throno Regio Jſraelis quemquam de domo Achab eſſe ſeſſurum dicitur. Purgata igitur labe familiæ gentilis tribus, quæ præteritis jam regulis in quarto generationum conſequentium ordine numeratur, & usque ad MARIAM generationes quatuordecem eſſe ſcribuntur, cum in numero decem & ſeptem reperiantur, nullus error eſſe poterit ſcientibus, non eam ſolùm eſſe Domino noſtro JESU Chriſto originem, quæ cæpit ex MARIA, ſed in procreatione corporea Nativitatis æternæ ſignificantiam comprehendi. Te Deum laudamus.

Tertia die infra Octavam S. JOACHIM

Lectiones I. Noct: de ſcript: occurr:

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

Sermo S. Joannis Damaſceni.

De Dormit: SSmæ Dei Genitricit orat: 1.

SI gentiles eos, qui de vita diſceſſerant, funebribus orationibus ornantes, id omne, quod ad alliciendos auditorum animos accomodatum eſſe cernebant, omni ſtudio, ac diligentia conferebant, tum ut ejus, quem laudandum ſuſceperant, omnibus numeris encomium abſolutum eſſet, tum ut reliquos ad virtutem excitarent, atque cohortarentur (ſic tamen ut ex infinitis fabulis ſermonem magna ex parte

con-

contexerent, quod videlicet, nihil domi haberent, quod in ipsius commendationē proferrent) quid tandem afferri queat, quin nos si ea, quæ verissima, ac veneratione digna sunt, quæque benedictionē omnē, ac salutem omnibus attulerunt, alto ut dici solet silentio contexerimus, non ingentem nostri risum excitemus, in eandemque inquam, is qui talentum humi abdidit, pœnam incidamus? quocirca initium dicendi faciamus, atque orationis brevitati studeamus, ne alioqui auribus inimica sit, non secus ac corporibus cibus modum excedens. JOACHIM & ANNA MARIÆ Parentes fuerunt.

℟. In omni opere dedit Confessionem Sancto, & excelso in verbo gloriæ: * Glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus. ℣. De omni corde suo dilexit Dominum. Glorificavit eum.

LECTIO V.

AT JOACHIM quidem, ut pecudum Pastor, cogitationes suas non minus quam oves pascebat, ac pro arbitrio, & libitu ducebat. Etenim cum sub Domino pecudis instar pasceretur, nullis præstantissimis rebus carebat. Præstantissima porro ea me (dicere ne quis arbitretur, quæ plerisque grata sunt, & quibus avidiorum hominum animus semper inhiat, quæque nec fixa, ac durabilia suapte natura sunt, nec meliorem Dominū efficiunt) nostis enim præsentis vitæ voluptates, quæ vim firmam, ac stabilem habere nequeunt, sed statim effluunt, ac eadem propemodum horâ dilabuntur: tametsi alioqui eorum copia abundaret. Absit hoc. Non nostrum est hæc mirari, nec pars hæc timentium Dominum.

℟. Dedit illi Dominus gloriam: * Et exaltavit semen ejus usque ad terminos terræ.

℣. Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est. Et exaltavit.

LE-

LECTIO VI.

HIc JOACHIM cogitationes suas pascebat in loco pascuæ, hoc est: sacris Oraculis degens, atque in refectionis aqua, hoc est: in Divina gratia se se oblectans: sic nimirum ut eas à turpibus & obscænis rebus avocaret, atque ad justitiæ semitas ipsis dux esset. At verò ANNA, quæ si interpreteris, gratiam sonat, non minus morum, quam matrimonii jugo cum eo copulata erat. Verũ quamvis omni virtutum genere floreret; tamen arcana quadam ratione sterilitatis morbo tenebatur. Etenim sterilis verè gratia erat, ut quæ in hominum animis fructũ edere minime posset: quando quidem omnes declinaverunt, simul inutiles facti erant: non erat intelligens, aut requirens Deum.

℞. Dilatavit gloriam populo suo: Et directa est salus in manu ejus. ℣. Lætificavit Jacob in operibus suis, & in sæculum memoria ejus in benedictione. Et directa est.

Gloria Patri. Et directa est.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio Sancti Evangelii Secundùm Matthæum.

LIber generationis JESU Christi Filii David, Filii Abraham, Abraham genuit Jsaac, Jsaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil: 12ma in Matthæum post initium.

AUditu quidem mirabile est, quando ineffabilis Deus, & qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendi, Patrique per omnia coæqualis, per Virginis ad nos venit uterum, & fieri ex muliere dignatus est, & habere Progenitores David, & quid dico: David, & Abraham? etiam illas, quod magis stupendum est, fœminas, quas

paulò

paulò ante memoravi. Hæc igitur audiens mente consurge, nihilque humile suspiceris, sed potius propter hoc ipsum maxime mirare, quia cum verus, & dilectus filius sit sempiterni Dei, etiam filius David esse dignatus est, modo ut te filium faceret Dei: servum Patrem habere dignatus est, ut tibi servo Patrem faceret ipsum Deum.

℟. Benedictionem omnium gentiũ dedit illi Dominus: * Et testamentum suum confirmavit super caput ejus. ℣. Non recedet memoria illius, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Et testamentum suum.

LECTIO VIII.

VIdes ab ipso statim principio, quam læta sint hæc nuntia. Quod si ambigis de his, quæ ad tuũ spectant honorem, ab iis, quæ illius sunt, etiam tua disce credere. Quantum enim consequi potest humana ratio, multo est difficilius Deum hominem fieri, quam hominem Dei filium consecrari. Cum ergo audieris, quia Filius sit David, & Abrahæ, dubitare jam desine, quod & tu, qui filius es Adæ, futurus sit filius Dei. Non enim semetipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundum carnem ut tu nascereris spiritu, natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.

℟. Justus germinabit sicut lilium: * & florebit in æternum ante Dominum.

℣. Plantatus in Domo Domini, in atriis Domus Dei nostri. Et florebit.

Gloria Patri. Et florebit.

LECTIO IX.

PRopterea duplex facta generatio est, hæc scilicet nostræ similis, illa nostram eminenter excedens. Quod enim natus ex fœmina est, & nobis competit: quod vero non ex sanguine, neque ex voluntate car-

 nis,

nis, aut viri, ſed ex Spiritu Sancto, aliam nobis ſublimiorem, futuramque, & Spiritu conſequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex ſimili diverſitate conſtabant. Nam & Baptisma profecto tale ſuſcepit, quod haberet quidem aliquid veteris, haberet & novi. Quod enim baptizatus eſt à Propheta, expreſſit vetus, quod autem deſcendit Spiritus, adumbravit novum.

Te Deum laudamus.

Quarta die infra Octavam S. JOACHIM

Lectiones I. Noct: de ſcript: occurr:

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

Ex Libro S. Joannis Damaſceni.

De fide Orthodoxa Lib: 4. Cap: 16.

JOACHIM lectiſſimam illam, ac ſummis laudibus dignam mulierem ANNAM matrimonio ſibi copulavit. Verùm quemadmodum priſca illa ANNA, cum ſterilitatis morbo laboraret, per orationem, ac promiſſionem Samuelem procreavit, eodem modo, hæc etiam per obſecrationem, & promiſſionem DEI Genitricem à Deo accepit, ut ne hæc quoque cuiquàm ex illuſtribus matronis cederet. Itaque gratia (nam hoc ſonat ANNÆ vocabulum) Dominam parit, (id enim MARIÆ nomine ſignificatur) verè etenim rerum omnium conditarū Domina facta eſt, cum Creatoris Mater extitit.

℞. In omni opere dedit Confeſſionem Sancto, & excelſo in verbo gloriæ: * Glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus. ℣. De omni corde ſuo dilexit Dominum. Glorificavit eum.

LECTIO V.

IN lucem autem editur in Domo Probaticæ JOA-

CHIM

CHIM, atque ad templum adducitur, ac deinde in Domo DEI plantata, atque per Spiritum saginata, instar olivæ frugiferæ virtutum omnium domiciliũ efficitur, ut quæ videlicet ab omni hujusce vitæ, & carnis concupiscentia mentem abstraxisset, atque ita Virginem una cum corpore animam conservasset, ut eam decebat, quæ Deum sinu suo exceptura erat.

℟. Dedit illi Dominus gloriam: * Et exaltavit semen ejus usque ad terminos terræ.

℣. Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est. Et exaltavit.

LECTIO VI.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

De S. Philogono ante medium.

QUænã igitur Oratio par sit Viri laudibus, quem DEUS tam felici sorte dignatus est. Non est ulla, sed age, dic mihi, num idcirco silebimus: & cujus rei gratia convenimus? An dicemus nos haud posse magnitudinem gestorũ oratione consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quando quidem hæc est præcipua laudum illius pars, quod factis verba æquiparari non possint. Nam quorum benefacta naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quod horum laudes excedunt linguam humanã. Proinde quamvis nostræ facultates exiguæ sint, minimique pretii, attamen, quæ possumus, offerimus. Ea licet non respondeant magnitudini meritorum Animæ præclari, justique JOACHIM, tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat.

℟. Dilatavit gloriam populo suo: * Et directa est salus in manu ejus. ℣. Lætificavit Jacob in operibus suis, & in sæculum memoria ejus in benedictione. Et directa est.

Gloria Patri. Et directa est.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio S. Evangelij Secundùm Matthæum.

LIber generationis JESU Christi Filii David, Filii Abraham. Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

De Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Homilia 12. in Matth. paulo post.

CUjus verò rei gratia librum ipsum generationis Christi vocat, ubi non sola utique generatio, sed tota prorsus ipsius mysterii dispensatio continetur? quia totius scilicet dispensationis caput, radix, atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum, ut enim Moyses librum cœli appellavit, ac terræ, cum certe non de cœlo solùm, terraque loqueretur, sed de cunctis, quæ inter ipsa consistunt: ita etiam Evangelista ab ipso omnium fonte, & capite bonorum librum vocavit.

℟. Benedictionem omnium gentiū dedit illi Dominus: * Et testamentum suum confirmavit super caput ejus. ℣. Non recedet memoria illius, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Et testamentum suum.

LECTIO VIII.

QUa verò de causa non eum ante filium Abrahæ, & postea Filium David nuncupavit. Non sicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad superiora conscendere. Cæterum fecisset quod fecit & Lucas, nunc autem è contrario fecit. Cur ergo commemoravit priorem David? Quia ipse procul dubio in omnium versabatur ore, ob insigne honoris, & gloriæ, ob ipsius quoque temporis spatia junctiora. Etsi enim utrique promiserat Deus, sed tamen illud quasi antiquum reticebatur, hoc verò quasi novum, & recens ab omnibus celebrabatur.

℟. Ju-

℟. Juſtus germinabit ſicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in Domo Domini, in atriis Domus Dei noſtri. Et florebit. Gloria Patri. Et florebit.

LECTIO IX.

IPſi namque Judæi dicunt: Nonne ex ſemine David, & Bethleem caſtello, ubi erat David? venit Chriſtus? Nemo igitur illum Filium Abrahæ, ſed omnes Filium David nominabant: qui etiam honorabiliores quosque de Sanctitate Reges, qui poſt David fuiſſe referuntur, ab illo omnes vocabant. Nec ipſi ſolum, verùm etiam Deus; nam & Ezechiel, & alii Prophetæ dicunt, David ſurrecturum eſſe eis, atque venturum, non de illo utique mortuo jam loquentes, ſed de iis, qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur à notiore interim, & celebratiore perſona ſumit exordium, & tum demum, ad antiquiorem recurrit parentem.

Te DEUM Laudamus &c.

Quinta die infra Octavam
S. JOACHIM

Lectiones I. Noct: de ſcript: occurr:

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

Sermo S. Andreæ Cretenſis Epiſcopi.

Ex libro Actuar: PP. Græcorum edit. P. Combeſis Ord: Prædic.

JOACHIM Vir mitis, modeſtus, ac divinis innutritus legibus, cum ſobrie vixiſſet, Deoque conſtans adhæreret, ac ſic perſeveraret, conſenuerat orbus filiis, natura quidem vegeta, cujus tamen vigori non reſponderet donum generis. Sed & ANNA

Dei amans, ſobria quidem, & continens, ſed ſterilis, viri amans, ſed carens liberis, nec aliud, quam ut legi Domini honorem haberet animo cogitans, ſtimulantibus per dies ſterilitatis aculeis, & ut par eſt affici, quibus non ſunt proles, moleſtè ferebat, triſtabatur, dolebat, non ferens filiorum orbitatem. Cum ſic autem Joachim, uxorque triſtarentur, quod filius deeſſet, qui Familiæ adeſſet, nondum tamen ſcintillam ſpei extinxerant, utrique verò, ut ad ſuſcitandum ſemen, filius præberetur, orabant. Ambo itaque Annam illam imitati, factam voti compotem, & exauditam, aſſidui in templo erant, Deumque votis ſupplicibus, ut orbitatē ſolveret, fructumque ſterilitati concederet, provocabant. Nec priùs contentionem remiſerunt, quam ſint facti compotes voti. Et verè evaſerunt voti compotes. Non enim ſpei neglexit donum, ipſius doni Author. Sic namque quiritantibus, ac Deo ſupplicantibus, ocyus adfuit non tarda virtus, illique ad fructus editionem, huic ad prolem ſuſcipiendam vires addidit, ac jam ex infæcundis, parentibusque ceu irriguis arboribus, generoſus nobis fructus Virgo immaculatiſſima germinavit.

℟. In omni opere dedit Confeſſionem Sancto, & excelſo in verbo gloriæ: * Glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus. ℣. De omni corde ſuo dilexit Dominum. Glorificavit.

LECTIO V.

ET quidem ita. Nos autem Dei populus, plebs Sancta, ſacer Conventus tripudio celebremus Paterna, vim Myſterii celebremus. Quisque pro conceſſa gratia, congruum ſolemnitati munus conferat, Patres generis felicitatem, Matres liberorum fœcundam probitatem, ſteriles peccati infæcunditatem: Virgines, duplicem incorruptionem animæ, in-

quam, & corporis: Conjugatæ moderationem laudabilem, si quis in vobis Pater, Virginis Patrem imitandũ proponat. Quanquam prole careat, vitæ Dei amantis fructum, orationem, fætum, semenque vindemiet. Si quæ mater lactans, Annæ post sterilitatem lactanti pro voto puellam congaudeat. Si quæ sterilis, & infæcunda fructum benedictionis non habet, concessum divinitus Annæ germen conveniat, & sterilitatem deponat. Si quæ Virgo casta, efficiatur Verbi Mater: Verbo, animæ Statui mundum conferens. Si quæ sub jugo, rationale sacrificium offerat, de iis quæ precibus comparata sunt.

℟. Dedit illi Dominus gloriam: * Et exaltavit semen ejus usque ad terminos terræ.

℣. Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est. Et exaltavit.

LECTIO IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 12. de S. Victore.

GAudete in Domino, dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo. Iterum dico gaudete, quod factus de medio appropriavit Deo, ut multò plures ejus intercessione salventur. In terris visus est, ut esset exemplo: in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus, Bonus mediator qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum.

℟. Dilatavit gloriam populo suo: Et directa est salus in manu ejus. ℣. Lætificavit Jacob in operibus suis, & in sæculum memoria ejus in benedictione. Et directa est.

Gloria Patri. Et directa est.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio Sancti Evangelii Secundùm Matthæum.

LIber generationis JESU Christi Filii David, Filii Abraham, Abraham genuit Jsaac, Jsaac autem genuit Jacob. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 12. *in Matth.*

DUo sunt, quæ pariunt quæstionem. Unum, quæ causa sit, ut in generationum cathalogo virgo sileatur. Alterum verò, qua ratione Joseph memoretur, cui certe nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim, & unum abundare, & alterum deesse. Quid ergo dicemus? quod utique primum illud necesse fuit memorari, quemadmodum ex David Virgo descenderit? unde hoc itaque discemus? audi ad Gabriel loquentem Dominũ. Vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Joseph ex Domo, & Familia David. Quid vis audire manifestius, cum ex Domo, & Familia David, illam Virginem esse cognoscas.

℟. Benedictionem omnium gentiũ dedit illi Dominus: * Et testamentum suum confirmavit super caput ejus. ℣. Non recedet memoria illius, & nomen illius requiretur à generatione in generationem. Et testamentum suum.

LECTIO VIII.

NOn erat mos apud Hæbræos generationum cathalogum per fæminas texere. Ut ergo & morem custodiret, nevè in ipso statim principio videretur antiqua destruere, & nobis Virginem certiùs indicaret, Parentes ejus reticens, atque Majores de Joseph generatione non tacuit. Sive enim hæc fecisset in Virgine, novitatis non effugisset invidiam.

Sive

Sive Joseph reticuisset, non agnosceremus ex qua Tribu Virgo subsisteret. Ut ergo & nos discerneremus quæ esset Maria vel unde, & consvetudo legis permaneret immobilis generationum cathalogum usque ad sponsum ejus perduxit, ac de Domo illum David esse monstravit.

℟. Justus germinabit sicut lilium: * Et florebit in æternum ante Dominum. ℣. Plantatus in Domo Domini, in atriis Domus Dei nostri. Et florebit. Gloria Patri. Et florebit.

Si fuerit Dominica: 9. lect: & comm: Dom.

LECTIO IX.

HOc enim declarato, illud quoque pariter ostendit, quod scilicet inde esset & Virgo: quia utique nequaquam justus iste pateretur Uxorem sibi aliunde, quam unde lex præcipiebat, eligeret. Possumus verò aliam quoque, & altiorem quidem proferre rationem, ob quam Parentes Virginis prætermissi sunt. Sed quæ ea est? noluit Evangelista recenti adhuc tempore novi illius admirandique partus Judæis esse manifestum, quod Christus natus fuisset ex Virgine. Neque proprius noster hic sermo est, sed à nobis de Patrum, atque insignium Virorum traditione susceptus. Te Deum laudamus.

SEPTEMBER

OFFICIUM SANCTISSIMI NOMINIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Duplex 1mæ Clas: cum Octava.

Idemque semel in mense recitandum prout inferius.

Ad Vesperas, Antiphona.

Dum esset Rex, *cum reliquis de laudibus, Psalmi ut in Officio parvo.*

Capitulum.

Ab initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione Sancta coram ipso ministravi.

Hymnus. Ave maris stella &c.

℣. Dignare me, laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat, Antiphona.

SAncta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tui Sancti Nominis commemorationem.

O R A T I O.

COncede quæsumus, Omnipotens Deus, ut fideles tui, qui sub Sanctissimæ Virginis MARIÆ Nomine & protectione lætantur, ejus pia intercessione à cunctis malis liberentur in terris, & ad gaudia æterna pervenire mereantur in Cœlis. Per Dnũ &c.

Pro Suffragiis. Petrus Apostolus, *cum reliquis.*

Ad Matutinum Invitatorium.

Sancta MARIA Dei Genitrix Virgo: * Intercede pro nobis.

Psalmus. Venite exultemus, &c.

Hymnus. Quem terra, pontus, sydera.

Antiphonæ, Psalmi, versiculi Nocturnorum ut in Officio parvo B. M. Ad Lectiones primi Nocturni.

℟. Sancta, & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio. Quia quem Cœli capere non poterant, tuo germio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: * Quia quem &c.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo. Et de meis visceribus genui Deum, & hominem.

℣. Bea-

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia Ancillam humilem respexit Deus. Et de meis visceribus.

℟. Beata es Virgo Maria, quæ Donimum portasti Creatorem Mundi: * Genuisti, qui te fecit, & in æternum permanes Virgo.

℣. Ave MARIA gratiâ plena Dominus tecum: Genuisti &c. Gloria Patri. Genuisti.

Ad Lectiones secundi Nocturni.

℟. Sicut Cedrus exaltata sum in Libano, & sicut Cypressus in Monte Sion: Quasi Myrrha electa: * Dedi svavitatem odoris.

℣. Et sicut cinnamonum, & balsamum aromatisans. Dedi svavitatem odoris.

℟. Qúæ est ista, quæ processit sicut Sol, & formosa tanquã Jerusalem: * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Viderunt eam &c.

℟. Ornatam monilibus filiã Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiæ Sion beatissimã prædicaverunt, dicentes: * Ungventum effusum Nomen tuum.

℣. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata veritate. Et videntes &c.

Gloria Patri. Unguentum &c.

Ad Lectiones tertii Nocturni.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est Sol Justitiæ, Christus Deus noster.

℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuũ juvamen, quicumque celebrant tui Sancti Nominis commemorationem. Quia ex te &c.

℟. Beatã me dicent omnes generationes: * Quia

fe-

fecit mihi Dominus magna, qui potens eſt, & Sanctum Nomen ejus.

℣. Et miſericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit &c.

Gloria Patri &c. Quia fecit &c.

Ad Laudes, & per Horas,

Antiphonæ. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſvavitatis.

Pſalm. Dominus regnavit. *Cum reliquis de Laudibus Dom.*

Ant: Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

Ant: Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem: ideò dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum.

Ant: Jam hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit: ſurge, amica mea, & veni.

Ant: Speciosa facta es, & ſvavis in deliciis tuis, Sancta Dei Genitrix.

Capitulum. Ab initio.

Hymnus. O glorioſa Virginum.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus, Antiphona.

Beata es, Maria, quæ credidiſti: perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino, Alleluja.

O R A T I O.

Concede quæſumus, &c.

Pro ſuffragiis.

Glorioſi Principes terræ. *Cum reliquis.*

Ad Primam in ℟. brevi dicitur.

Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam Antiphona. Læva ejus.

Capitulum. Ab initio.

℟. *breve.* Specie tua: * Et pulchritudine tua.

℣. In-

℣. Intende prospere, procede, & regna. Et pulchritudine tua. Gloria Patri &c. Specie tua &c.

℣. Adjuvabit eam Deus vulto suo.

℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Ad Sextam Antiphona. Nigra sum.

Capitulum. Et sic in Sion firmata sum, &c.

℟. *breve.* Adjuvabit eam: * Deus vultu suo. Adjuvabit.

℣. Deus in medio ejus non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri &c. Adjuvabit &c.

℣. Elegit eam Deus, & prælegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

Ad Nonam Antiphona. Speciosa.

℟. *breve.* Elegit eam Deus: * Et prælegit eam. Elegit.

℣. In tabernaculo suo habitare fecit eam. Et prælegit &c. Gloria Patri &c. Elegit &c.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

Ad Magnificat, Antiphona.

Beatam me dicent omnes generationes: quia Ancillam humilem respexit Deus.

ORATIO. *Ut supra.*

Missa. Vultum tuum, *ut in Festo.* Gloria excelsis, *sine Credo.* 2. *Oratio de Spiritu S.* 3. *Oratio pro Ecclesia, vel pro Papa. Præfatio de B. V. M.* Et te in veneratione &c.

In Commemoratione Sanctissimi Nominis B. V. M. Lectiones Secundi, & Tertii Nocturni pro singulis Mensibus per Annum.

MENSE

MENSE JANUARIO, & FEBRUARIO.

In secundo Nocturno.

Sermo Sancti Bonaventuræ Episcopi.

In Spec: B. V. Mariæ.

LECTIO IV.

NOmen Virginis Maria. Hoc Nomen Sanctissimum, Nomen dulcissimum, Nomen dignissimum, tam sanctissimæ, tam dulcissimæ, tam dignissimæ Virgini convenientissimè est impositum. Maria enim amarum mare: Maria est stella maris, & Maria illuminata, vel illuminatrix, Maria Domina interpretatur. Maria autem est mare amarum dæmonibus, & stella maris hominibus, & illuminata, vel illuminatrix Angelicis spiritibus: Domina creaturis omnibus; Maria, inquam dæmonibus est mare amarum spiritualiter, & Maria hominibus est stella maris officialiter, & Maria Angelis illuminatrix est æternaliter, & Maria creaturis omnibus est Domina universaliter. Tu autem &c.

LECTIO V.

MAria utique est mare per affluentem Spiritûs S. repletionem: Maria est amara per affluentem Filii sui passionem: Maria est mare amarum per submergentem diaboli suffocationem. Maria dicitur mare propter affluentiam & copiam gratiarũ. Unde scriptũ est in Ecclesiaste: omnia flumina intrant in mare, flumina sunt Charismata Spiritûs S. Omnia ergo flumina intrant in mare, dum omnia Charismata Sanctorũ intrant in Mariã; Flumen enim gratiæ Angelorum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Patriarcharum, & Prophetarum intrat in Mariã, & flumen gratiæ Apostolorũ intrat in Mariam, & flumen gratiæ Martyrum intrat in Mariam, & flumen gratiæ Confessorũ intrat in Mariam, & flumen gra-

tiæ

tiæ Virginum intrat in Mariam: omnia flumina intrant in mare, id eſt omnes gratiæ intrant in Mariam. Tu autem, &c.

LECTIO VI.

MAria in paſſione Filii ſui valde amara fuit, quando ſuam ipſius animam gladius pertranſivit, unde ipſa bene potuit dicere illud Ruth. Non vocetis me Noëmi, id eſt pulchram, ſed vocate me mara; ideſt amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens. Amara fuit Noëmi, quia duo filii ſui fuerunt mortui. Noëmi pulchra & amara ſignat Mariã: pulchram quidem per Spiritûs S ſanctificationem, amaram verò per filii ſui Paſſionem. Duo autem filii Mariæ ſunt: Homo Deus, & homo purus, unius enim corporaliter, alterius ſpiritualiter Mater eſt Maria. Maria eſt mare amarum diabolo, & Angelis ejus per ipſam oppreſſis, quemadmodùm mare rubrum amarum fuit Ægyptiis in ipſo ſubmerſis, de quibus habetur in Exodo: Reduxit ſuper eos Dominus aquas maris. O quàm amarum, & timendum eſt hoc mare Ægyptiis! O quàm amara, & timenda eſt hæc Maria dæmonibus! Fluunt, & pereunt, ſicut cera à fecie ignis, ubicumque inveniunt crebram hujus nominis recordationem, devotam invocationem, ſolicitam imitationem. Tu autem, &c.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Lucam. c. 1.

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ, cui Nomen Nazareth ad Virginem deſponſatam Viro, cui Nomen erat JOSEPH de domo David, & Nomen Virginis MARIA. Et reliqua.

Homi-

Homilia S. Epiphanii Episcopi.
In Laudibus B. V. MARIÆ.

ANna gravida effecta, Cœlum, & thronum Chebicum peperit, Sanctam puellam Mariam. Illa enim reperietur esse Cœlum, Templũ, & thronus: quia Mariam interpretari solemus Dominam, atque etiam spem, peperit enim Dominum, qui est totius mundi, nempe Christum. Rursum Nomen illud Maria interpretatur myrrha maris. Myrrham verò, aliquis dicet (quod ego etiam ajo:) de immortalitate, eò quod paritura esset gemmam immortalem in mari, hoc est in mundo Mare autem dicet universum mundum, cui Virgo serenitatem, & tranquilitatem contulit, dum portum peperit Christum. Tu autem &c.

LECTIO VIII.

RUrsum itaque præclaræ puellæ Mariæ beatum Nomen interpretatur illustrata, utpote quæ illustrata sit à filio Dei, & cunctos usque ad terminos terræ credentes Trinitati illuminaverit. Sancta enim puella Virgo Maria est Sponsa Trinitatis, & thesaurus dispensationis plenè arcanus, cui Gabriel inquit: Ave gratiâ plena Dominus tecũ. Subjunxit Gabriel: Et Pater misit arrhabonem de Cœlo Spiritum Sanctum: præparavit Virginem Unigenito Filio Cœlesti Sponso, quam Pater dilexit, Filius inhabitavit, Spiritus S. percupivit. Ipsa est enim Sponsa, & thalamus, & ex ea Sponsus procedit Christus. Virgineum indumentum, juxta svavem Davidis Prophetæ cantionem: In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo. Tu autem &c.

LECTIO IX.

QUid dicam? & quid proloquar? quo pacto beatam prædicabo gloriæ radicem? solo enim Deo ex-

cepto,

cepto, cunctis superior existit: naturâ formosior est ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico: cui prædicandæ cælestis, ac terrena lingua minimè sufficit, imò verò nec Angelorum. Etenim ipsi quidem hymnũ, laudem, honorem protulerunt: non tamen eo modo eloqui pro dignitate potuerunt: Lætabantur verò Angeli, tamquam ipsi dumtaxat Deum haberent: quibus Sanctissima Virgo, superior nata, Deum habitantem in Cœlis concepit in terra, ut hac ratione exercitus Angelorum traheret in terram, & versaretur cum hominibus. Ipsa enim est Cœli, & terræ mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit. Tu autem &c.

MENSE MARTIO, & APRILI.

In secundo Nocturno.

De Sermone S. Bonaventuræ Episcopi.

In Spec: B. V. MARIÆ.

LECTIO IV.

MAria interpretatur Stella maris. Hoc optimè convenit Mariæ, quæ gerit officium stellæ marinæ: legitur enim, & verum est, quòd nautarum mos est, ut, cùm in aliquam terram navigare disponunt, unum sydus eligunt, cujus signo, luce radiante, in eam, quam desiderant, partem possint sinè errore adduci. Tale certè officium est Stellæ nostræ Mariæ, quæ navigantes per mare mundi in navi innocentiæ, vel pœnitentiæ dirigit ad littus cælestis patriæ. Bene autem Maria stellæ maris comparatur propter puritatem, propter radiositatem, & propter utilitatem. Maria enim est stella purissima, stella radiosissima, & stella utilissima. Tu autem &c.

LECTIO V.

MAria est stella purissima, sinè peccato purissimè vivendo. Unde de ea dici potest illud Sapientiæ:

tiæ: Eſt enim hæc ſpecioſior Sole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, luci comparata invenitur purior. Quidam legunt hic prior, quidam purior, utrumque verò ſtellæ noſtræ competit. Maria enim eſt prior, ideſt potior, ſive dignior. Maria etiã purior eſt Sole, & ſtellis, & luce: quia tam dignitate, quam puritate Solem, & ſtellas, & omnem lucem ſuperat corporalem, imò etiam ſpiritualem, ideſt Angelicam creaturã. De qua dicitur: Diviſit Deus lucem à tenebris, ideſt Angelos ſtantes à cadentibus. Hac utique luce Angelica prior, & purior eſt Maria; prior dignitate, & purior ſanctitate. Tu autem &c.

LECTIO VI.

MAria eſt ſtella radioſiſſima, radium æternum emittendo, & Dei Filium pariendo: Ipſa enim eſt ſtella, de qua dicitur in Numeris: Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget Virga de Jſràël. Virga iſta, eſt Dei Filius, qui ſtellæ noſtræ Mariæ eſt radius. O verè Beatiſſima, o verè radioſiſſima ſtella Maria, cujus radius non ſolùm mundũ, imò etiam Cœlũ, & non ſolùm Cœlum, imò etiã infernũ penetravit! Maria etiam eſt ſtella utiliſſima nos ad Patriam Cæleſtem dirigendo, ducendo nos per mare hujus ſæculi ad gratiam Filii ſui, tanquam ad portum Paradiſi. Unde ipſa eſt ſtella illa clariſſimè fulgens, tres Magos ad Chriſtum rectiſſimè ducens. Maria certè eſt ſtella, quæ in fluctibus præſentis vitæ valde eſt neceſſaria. Tu autem &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Lucam. c. 1.

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ, cui Nomen Nazareth,

reth, ad Virginem desponsatam Viro, cui Nomen erat JOSEPH de domo David, & Nomen Virginis MARIA. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani.

Serm: de Annuntiatione B. V. MARIÆ.

EXultate Fratres, in Domino, quia de Domina illa sermo succedit, quæ singularem in cordibus nostris sibi vendicat principatum. Hæc est ad cujus nomen corpus humiliter inclinatis, cujus horis reverenter assistitis, cujus memoriã jugiter frequentatis. Hæc est, quæ vestris affectibus svaviter indulcescit, quia magna multitudo dulcedinis ejus. Spiritus enim ejus super mel dulcis, in qua dulcis Dominus cum omni sua dulcedine supervenit. Cùm enim fecerit Deus omnia opera sua valdè bona, hoc melius fecit, consecrans sibi in ea reclinatoriũ aureum, in qua sola se post tumultus Angelorum, & hominum reclinaret, & requiem inveniret. Hoc est, quod natura miratur, reveretur Angelus, veretur homo, stupescit Cœlum, extremit terra, infernus exhorret. Tu autem &c.

L E C T I O VIII.

QUid est Beatissima? Numquid ita sensim taciturnus obdormiam, ut ibi mutus sim, ubi omnis loquitur creatura? Verumtamen non tacebo, & non quiescam, donec egrediatur, ut splendor vultus tuus, & sermo de te conceptus, si non ut lampas, saltem ut scintilla accendatur. Nascitur Maria, & ad nubiles annos egrediens, speciem induit speciosã, quæ ipsũ alliciat Deum, & Divinitatis oculos in se convertat. Vide quid indè dicat ille non minimus explorator secretorum Dei: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui: Et concupivit Rex decorem tuũ, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Germinavit igitur

igitur virga Jeſſe de tortuoſa radice generis humani, de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodoſitatem, filiorũ tenebras neſcit, fructuoſa quæque habet. Videt, & ardet ille vehemens amator, & totum epithalamiũ in laudibus ejus decantat, ubi manifeſtè Sponſus inducitur ſpirans amorem ſincerrimũ, nec ultra valens diſſimulare, quod patitur. Tu autem &c.

LECTIO IX.

EVocatur ſtatim Cœleſtis ille conventus, & juxta Prophetam: init Deus conſilium, cogit conciliũ, facit ſermonem cum Angelis de reſtauratione eorũ, de redemptione hominum, de elementorum renovatione, ac illis ſtupentibus, & mirantibus præ gaudio de modo redemptionis, & ſtatim de theſauro Divinitatis Mariæ Nomen evolvitur, & per ipſam, & in ipſa, & de ipſa, & cum ipſa totum hoc faciendũ decernitur, ut ſicut ſinè illo nihil factum, ita ſinè illa nihil refectum ſit. Traditur Epiſtola Gabrieli, in qua ſalutatio Virginis, Incarnatio Redemptoris, modus Redemptionis, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur. Tu autem &c.

MENSE MAJO, & JUNIO.

In ſecundo Nocturno.

De ſermone S. Bonaventuræ Epiſcopi.

In Spec: B. V. MARIÆ.

LECTIO IV.

MAria etiam interpretatur illuminata, vel illuminatrix. Hoc ſimiliter competit tantæ Virgini, quæ mirabiliter illuminata eſt per præſentiam Domini, juxta illud Apocalypſis: Vidi Angelũ aliũ deſcendentem de Cœlo, habentem poteſtatem magnã, & terra illuminata eſt à gloria ejus. Filius Dei eſt Ange-

Angelus magni consilii: Terra verò à gloria Dei illuminata est Maria, quæ sicut illuminata fuit à gratia ejus in mundo, ita nunc illuminata est à gloria ejus in Cœlo, ut sic illuminata, fieret illuminatrix in mundo, & in Cœlo. Propter quod considerendū est, quod Maria illuminata, illuminatrix est per exempla, per beneficia, & per præmia: illuminatrix per exempla vitæ suæ, illuminatrix per beneficia misericordiæ suæ, illuminatrix est Maria per præmia gloriæ suæ. Tu autem &c.

LECTIO V.

MAria est illuminatrix plurimorum per exempla lucidissimæ vitæ suæ. Ipsa est, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. Ipsa est, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Ipsa enim est lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata à Deo, ut per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia. Oret ergo Ecclesia, oret fidelis anima, & dicat: Quoniā tu illuminas lucernam meam, Domine, Deus meus, illumina tenebras meas. Hanc verè lucernam Dominus illuminavit plenissimè, & per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat, & fugavit. Tu autem &c.

LECTIO VI.

MAria est illuminatrix per beneficia lucidissimæ misericordiæ suæ, per quam multi in nocte hujus sæculi illuminati sunt spiritualiter: sicut quandoque filii Jsràel per columnam ignis illuminati fuerunt corporaliter, juxta illud Psalmi: Deduxit eos in nube. Maria est nobis columna nubis, quia tamquam nubes protegit ab æstu divinæ indignationis: Protegit etiam ab æstu diabolicæ tentationis, sicut iterum dicitur in Psalmo: Expandit nubem in protectionem. Maria namque columna ignis est, illuminans nos, imo illuminans mundum multis miseri-

ricordiæ ſuæ beneficiis. Quid nos miſeri, nos obtenebrati, quid in nocte hujus ſæculi faceremus, ſi tam lucidam lucernam, ſi tam luminoſam columnã non haberemus? Quid enim totus mundus valeret, ſi Solem non haberet. Tu autem, &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Lucam. c. 1.

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ, cui Nomen Nazareth ad Virginem deſponſatam Viro, cui Nomen erat JOSEPH de domo David, & Nomen Virginis MARIA. Et reliqua.

Homilia S. Petri Damiani.

Serm: de Epiphania Domini.

STella erat in terra Virgo Maria, de qua Balaam prædixit in prophetia ſua. Orietur ſtella ex Jacob, & confringet omnes alienigenas. In ſtella, fratres; quatuor principaliter attenduntur. Stella enim igneæ naturæ eſt, ſtella in ſe lucida eſt, & clara, ſtella ex ſe radium emittit, ſtella in nocte lucet. Hæc eadem in ſtella noſtra, ideſt in Virgine Maria, poſſumus invenire. Stella, ut diximus, igneæ naturæ eſt; & ipſa Virgo Maria igneæ naturæ fuit. Ipſa eſt enim rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moyſi, qui videbatur quidem ardere, ſed non comburebatur; quia gravida quidem apparuit Virgo, ſed igne libidinis non eſt conſumpta. Ipſa in ſe ſplendida eſt, & clara, adeò ut de ipſa ſcriptum ſit in Canticis Canticorum: Quæ eſt iſta, quæ progreditur ſicut Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol. Ipſa ex ſe radium illum emiſit, qui penetrat usque ad cordis ſecreta; unde, & meritò congruit ei nominis interpretatio. Maria namque ſtella maris interpretatur; hic mare mundus eſt, ſicut ſcri-

ptum eſt: Hoc mare magnum, & ſpatioſum, illic reptilia, quorum non eſt numerus. Tu autem &c.

LECTIO VIII.

MEritò ergo ſtella maris dicitur, quia ipſa tanquam ſydus ſingulare refulſit in mundo, & cujus ſplendor illuminat mundum, & ex ſe radium illum emiſit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et ſicut radius proceſſit à ſtella, ſtellâ integrâ permanente; ſic Filius ex Virgine, Virginitate inviolabili perdurante. Stella lucet in nocte, & ipſa Virgo in nocte hujus ſæculi ſingulariter fulſit, ſecundum quòd de ea ſcriptum eſt: Quæ cunctas hæreſes ſola interemiſti in univerſo mundo. Talis eſt ſtella noſtra, fratres, talis eſt Virgo Maria, talis eſt ſtella maris; & quia reliquit nobis exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, talis etiam debet eſſe anima noſtra. Tu autem, &c.

LECTIO IX.

SImus ergo, fratres, igneæ naturæ, ut ſit in nobis ille ignis, quem venit Dominus mittere in terram. Simus etiam & nos clari, & fulgidi, ut aſpiret nobis dies, & inclinentur umbræ; & deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, induamus novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt; emittamus etiam ex nobis radium bonæ operationis, quia ſcriptum eſt: ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Stella lucet etiam in nocte, & nos fratres, in nocte hujus ſæculi luceamus, ſecundùm quod ſcriptum eſt: Inter quos lucetis, quaſi luminaria fixa in firmamento. Contra hæreticorum tenebras, ſapientiæ lumine ſplendeamus. Sic ergo, fratres, ad verum Solem poterimus pervenire, ſi Virginis, & ſtellæ noſtræ veſtigia fuerimus imitati. Tu autem, &c.

 MENSE

MENSE JULIO, & AUGUSTO.

In secundo Nocturno.

De sermone S. Bonaventuræ Episcopi.

In Spec: B. V MARIÆ.

LECTIO IV.

MAria etiam interpretatur Domina. Hoc quoque optimè competit tantæ Imperatrici, quæ revera Domina est Cœlestium, terrestrium, & infernorum. Domina, inquam Angelorum, Domina hominum, Domina dæmonum. Maria est Domina Angelorũ: Ipsa enim signata est in Domina Esther Regina, de qua legitur, quod super unam famulam suam deliciosè innitebatur, altera autem famularũ sequebatur Dominã, defluentia in humum vestimenta sustentans. Per Dominam Esther Reginam, intellige Mariam Reginam: Duæ famulæ, quarũ Domina est Regina Maria, sunt Angelica, & humana creatura. O quantum gaudendum est nobis miseris hominibus, quod Angeli Dominum, & Dominam habeant ex hominibus. Anima humana est famula, quæ Dominã suam Mariam sequitur in mundo. Sequitur certè colligens vestimenta Dominæ, scilicet colligens virtutes, & exempla Mariæ. Intelligentia verò Angelica est famula, super quam Domina sua Maria, innititur in Cœlo. Innititur certe tanquam familiarissima, se Angelis sociando; innititur etiam tanquam delicatissima, in Angelis deliciando, innititur quoque tanquam plenissima, se cum sua plenitudine Angelis communicando; innititur insuper tanquam potentissima Angelis imperando: Omnibus enim Angelis, Maria innititur suo imperio. Tu autem, &c.

LECTIO V.

MAria est Domina hominum in mundo. De hac Domina in Psalmo dicitur: Sicut oculi ancil-

læ in manibus Dominæ ſuæ. Ancilla Dominæ Mariæ, eſt quælibet anima fidelis, imò etiam Eccleſia univerſalis. Oculi hujus Ancillæ in manibus Dominæ ſuæ ſemper debent eſſe, quia oculi Eccleſiæ, oculi omnium noſtrum ad manus Mariæ ſemper debent reſpicere, ut per manus ejus aliquid boni accipiamus, & per manus ejus, quidquid boni agimus, Domino offeramus. Per manus enim hujus Dominæ habemus, quidquid boni poſſidemus. Benè nobis, chariſſimi, benè nobis; quod talem Dominam habeamus, quæ manus tam liberales habet ad nos, & tam præpotens eſt apud Filium ſuper nos, ut ſecuri ad ipſam confugere poſſimus omnes nos. Tu autem, &c.

LECTIO VI.

MAria eſt Domina dæmonum in inferno, tam potenter eis dominans, ut etiam de ipſa accipi poſſit illud Pſalmi: Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum. Virga virtutis, Virgo Maria. Ipſa eſt Virga Aaron, florida per Virginitatem, & fructifera per fœcunditatem. Ipſa quoque eſt virga, de qua dicitur in Jſaia: Egredietur virga de radice Jeſſe. Hæc virga Virgo Maria, virga virtutis eſt contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur; & ideò Domina tam magna, tam magnæ virtutis, meritò à nobis amatur, meritò à nobis laudatur, & meritò à nobis exoratur, ut nos contra inimicos iſtos tueatur. Te Domina magna, & valde magna, te vult cor meum amare, & cupit os meum laudare, te deſiderat venerari mens mea, te affectat oxorare anima mea, quia tuitioni tuæ ſe commendat tota ſubſtantia mea. Tu autem, &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Lucam. c. 1.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ, cui Nomen Nazareth ad Virginem desponsatam Viro, cui Nomen erat JOSEPH de domo David, & Nomen Virginis MARIA. Et reliqua.

Homilia S. Anselmi Episcopi Cantuariensis.

Oratione xlviij ad Beatam Virginem.

MEmini, & meminisse delectabile est, qualiter, Beata Virgo, ad commendandum nobis miseris unicum patrocinium tuum, cuidam tuo servo agenti in extremis revelasti memorabile nomen tuum: Apparens enim ei, cum esset in angustiis, & requirens, utrum te agnosceret? cùm ille, minimè Domina, tremens responderet, ut ei pro benignitate tua quàm blandè, quam familiariter dixisti: Ego sum misericordiæ Mater. Apud quem ergo miseri, apud quem desolati rectius ingemiscimus deplorantes mala totius calamitatis, & miseriæ nostræ, quam apud te veram, & indubitatā Matrem misericordiæ. Mater S. Mater unica, Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater misericordiæ, Mater pietatis, & indulgentiæ aperi sinum pietatis, & suscipe mortuū in peccatis. Tu autem &c.

LECTIO VIII.

ECce, Domina filius prodigus, nudus, & attritus pedibus, de loco horroris, de nebula immunditiæ, & fœtoris, suspirat, clamat, & appellat Matrem, non immemor, quoties eum foveris, protexeris, excusaveris apud Patrem. Et quidem ille piissimus, atque benignissimus Pater, tu tam dulcis, & svavis Mater. Agnosce benedicta filios tuos, quos unice dilectus Unigenitus tuus, non erubuit nominare fratres suos. Et si pro illo innocente Filio tuo Crucifixo pertransivit gladius animam tuam, quomodo super mortuis in peccato pupillis tuis te contine-

tinere; quomodo unquam maternis fletibus, & lachrymis, o Domina, poteris temperare? abſtrahimur, diripimur, captivamur, non eſt qui eruat, non eſt qui redimat, qui conſurgat diluculo, & ſpondeat pro nobis. Surge pia, ſurge propitia, intra Sacrariũ exauditionis, & expande manus immaculatas ante altare illud aureum humanæ reconciliationis. Tu autem, &c.

L E C T I O IX.

SIngularis Virgo, ſumma, & perpetua Virgo, ſola Mater, & Virgo, Sancta Maria, indignus hoc unum rogo, hoc unum precor, & obſecro in nomine dilecti Filii tui, dona mihi miſero jugem, & perennem memoriã ſvaviſſimi Nominis tui; ſit cibus dulciſſimus, cibus ſvaviſſimus animæ meæ. Adſit mihi in periculis, adſit in anguſtiis, adſit in principio lætitiæ meæ. Si enim hoc, Dei dono, & tuo mereor obtinere, nullatenus certè, numquam funditus vereor interire. Aderit enim ſemper mihi gratia tua, aderit miſeratio, & protectio tua; & ſi in infernum demerſus fuero, eo me requires, & inde me extrahes, & reddes Filio tuo, qui me redemit, & lavit ſangvine ſuo. Tu autem, &c.

MENSE SEPTEMBRI, & OCTOBRI.

In ſecundo Nocturno.

Sermo Sancti Bonaventuræ Epiſcopi.

In Spec: B. V. Mariæ.

L E C T I O IV.

NOmen Mariæ, Nomen affectuoſum, & dulciſſimum, Nomen gratioſum, & nobiliſſimũ. Nomen id glorioſum, & digniſſimum, optimè convenit B. Virgini Dominæ noſtræ. Convenientiſſimè Virgo tam pia, vocata eſt Maria: Ipſa enim eſt Maria, quæ & omni vitio caruit, & omni virtute claruit.

Ma-

Maria profundissima apud se fuit per humilitatem. Ipsa enim Maria, de qua dicitur in Luca: Dixit autem Maria: Ecce Ancilla Domini: O mira & profunda humilitas Mariæ! Ecce Mariam Archangelus alloquitur, Maria gratia plena dicitur, superventio Spiritûs Sancti præmittitur, Maria in Matrem Domini assumitur, Maria jam omnibus creaturis anteponitur, Maria jam Domina Cœli, & terræ efficitur, & pro his omnibus non extollitur, sed in his omnibus mira humilitate deprimitur, dicens: Ecce Ancilla Domini. Hoc est contra multos, qui in prosperis, & honoribus, qui in gratiis, & virtutibus non humiliantur cum Maria, & cum Christo, sed intumescunt cum Eva, & Lucifero. Tu autem, &c.

LECTIO V.

MAria affectuosa fuit per charitatem. Ipsa enim est Maria, de qua dicitur in Luca: Exurgens autem Maria abiit in montana cum festinatione: Abiit, inquam ut visitaret, ut salutaret, ut ministraret Elisabeth. Vide quomodo illa visitatio Mariæ plena fuit charitate. In descriptione enim illius visitationis, Maria quater nominatur, in quo charitas Mariæ ad Deum, & ad proximum plenius declaratur. Charitas proximi debet haberi, & foveri corde, ore, & opere. Maria autem charitatem proximi habebat in corde, & propter hoc exurgens Maria abiit in montana cum festinatione. Quid enim eam ad officium charitatis festinare cogebat, nisi charitas, quæ in corde ejus fervebat? Legimus, quòd Pastores venerunt festinantes ad præsepium, & quòd Maria abiit cum festinatione ad obsequiū, & quòd Zachæus festinans descendit ad hospitandū Dominum. Væ ergo tardis ad opera charitatis. Tu autem, &c.

LECTIO VI.

MAria Charitatē proximi ore fovebat. Ipſa enim eſt, de qua ibidem dicitur: Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit Infans in utero ejus; charitas inquam, proximi ſalutationibus, & aliis charitatis locutionibus, ſemper fovenda eſt. Unde Angelus ſalutavit Mariam; Maria ſulutavit Eliſabeth. O quàm dulciter Maria ſalutare novit! O Maria digneris nos per gratiam tuam ſalutare. Et certè ipſa nos libenter ſalutat beneficio, & conſolatione, ſi nos eam frequenter ſalutamus ſervitio, & ratione. Item. Maria charitatem opere exercebat. Ipſa enim eſt, de qua ibi dicitur: Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus; manſit videlicet pro miniſterio & conſolatione Eliſabeth. Item: Maria, ſicut in omnibus charitatem habuit ad proximum, ita ſuper omnia charitatem habuit ad Deum. Ipſa enim eſt, de qua ibidem dicitur: Magnificat anima mea Dominum. Anima quod amat hoc magnificat, & in hoc exultat: idcirco anima Mariæ Deum decentiſſimè magnificavit, & in Deo firmiſſimè exultavit, quia Deum excellentiſſimè amavit. Tu autem, &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio S. Evangelij Secundùm Lucam. c. 1.

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ, cui Nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam Viro, cui Nomen erat JOSEPH de domo David, & Nomen Virginis MARIA. Et reliqua.

Homilia S. Bernardini Senenſis.

Serm: 3. de Glorioſiſſimo Nomine Mariæ. c. 2. 3. 4.

AD ipſum Mariæ nomen interpretandum deſcendere libet, ſecundum quòd Maria Domina inter-

terpretatur. Et circa hoc consideremus dominii proprietatem, magnitudinem, & multiplicationem. Dominatio quidem est vera, quæ nulli prælationi est obnoxia. Sic, & Beata Virgo: nullius quippe creaturæ prælationi obnoxia est. Quomodo enim subiiceretur creaturæ, quæ Mater effecta est Creatoris? Imò Mater Domini omnis Creaturæ, effecta est Domina omnis creaturæ? Igitur, quia genuit Creatorem, Domina facta est omnis creaturæ. Proindeque in Persona Mariæ dicitur: In omni gente, & populo primatum habui. Imò, si fas est dicere, non tantùm facta Domina omnis creaturæ, verùm etiam ipsius Creatoris; sicut scriptum est: & erat subditus illis. Verè igitur Beata Virgo Domina est. Tu autem, &c.

LECTIO VIII.

MAximè dominatur amicis, idest spiritualibus, & devotis, & in hoc est pulchra ut Luna, quia dispensat eis divinæ Sapientiæ lucem, & Cœlestis gratiæ rorem. Dominatur filiis, idest Angelis. Et in hoc est electa ut Sol, scilicet ad irradiandam totam multitudinem Spirituum beatorum. Cùm autem Beata Virgo, Regina Cœli, & Mater Filii Dei, tantùm habet servorum numerum, quot filii sui implent ministerium. Omnes igitur Angelici spiritûs, sunt hujus gloriosæ Virginis ministri, atque servi. Quomodo ergo non essent servi illius, per quam eorum, quantùm ad numeri integritatem, reparatio facta est? per cujus filium eorumdem facta est purgatio, illuminatio, & consummatio, idest, gloriæ consummatæ perfectio? Verè igitur Domina dici potest, atque meritò habent de illa omnes Cœlestes Spiritus confiteri: Servi tui sumus, quæque jusseris, faciemus, Tu autem, &c.

L E-

L E C T I O IX.

OREmus igitur, dilectissimi fratres, Dominam nostram Virginem Benedictam, ut quæ Mater esse meruit Judicis sæculorum, pro reatibus nostris Filio satisfaciat advocata. Quid enim in causa potest esse periculi, ubi causas hominum illa perorat, quæ habet unde apud Deum pro filiis hominum orare præsumatur, quia Mater est Dei? Habet & ille, unde clementer homini ignoscat, quia filius hominis est. Ambo certatim causas miserentur humanas. Mater excusando mortales, ne pereant: Filius ignoscendo peccantibus, ut resurgant: Omnes igitur Genitrici ejus devotissimè supplicantes, vitam nostram emendemus, & mores, communi voto, pari desiderio, ardenti affectu postulantes, ut Ecclesiam suam exaltet, ministerium nostrum acceptet, patriam tueatur, protegat Civitatem, Fideles multiplicet, abigat hostes, domesticos foveat, & omnes qui triumphale Nomen JESU, & Matris ejus Mariæ invocant, & adorant, dirigat semper, & conservet in Christo, qui cum Patre, & Spiritu S. vivit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen. Tu autem, &c.

MENSE NOVEMBRI, & DECEMBRI.

In secundo Nocturno.

De Sermone S. Bonaventuræ Episcopi.

In Spec: B. V. MARIÆ.

L E C T I O IV.

MAria indefessissima, & studiosissima fuit per sedulitatem in bonis operibus: ipsa namque est Maria illa, de qua dicitur in actis: Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria Matre JESU. Maria indefessè perseverando in oratione, exemplum dedit, quam oportet sequi, non deficere. Et si Maria tam sedule ora-

vit

vit in terris, quomodo non ſedulè orabit pro nobis in Cœlis; ſed ecce Maria noſtra non ſolum ore in orationibus, ſed etiam corde in Sanctis meditationibus indefeſſa fuit & ſedula: ipſa enim eſt Maria, de qua dicitur in Evangelio Lucæ: Maria conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo: Quia ergo Maria non fuit acediosa, ideò non fuit otioſa, & ideò non ſolum mentem in Sanctis meditationibus, non ſolùm lingvam in devotis orationibus, ſed etiam manus in bonis operibus ſedulas habuit. Heu quàm longè à gratia Mariæ eſt miſer acedioſus, cujus mens, manus, & lingva, ſunt toties à meritis otioſa. Tu autem, &c.

LECTIO V.

MAria tenuiſſima fuit per paupertatem, ipſa enim eſt, de qua dicitur: Invenerunt Mariam, & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio. Paſtores pauperes invenerunt pauperem Mariam Matrem, & pauperem infantem in paupere loco, non in pompoſa curia, ſed in paupere præſepio; quæ utique paupercula Mater bonum hoſpitium habuiſſet, ſi pauper non fuiſſet; iſta dum diligenter attendis, tunc paupertatem Mariæ evidenter perpendis. Quicumque certè propter Deum pauper eſt voluntarie, & libenter, vel etiam quicumque pauper eſt neceſſarie, & patienter, multum conſolari poteſt de paupertate Mariæ, & de paupere Chriſto. Ab illa conſolatione iniqui divites longè ſunt, qui longè aliam quærunt; unde Salvator dicit: Væ vobis divitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram. Tu autem, &c.

LECTIO VI.

MAria tandem caſtiſſima fuit per Virginitatem, caſta enim fuit in Virginea carne, ſicut Evangeliū taſtatur, dicens: Nomen Virginis Maria. Ca-

ſtior

ſtior fuit Maria in Virginea mente, ſicut ipſamet teſtatur: ipſa enim eſt, de qua dicitur: Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virũ non cognoſco? ideſt non cognoſcere propono. Caſtiſſima verò fuit Maria in Virginea prole: nam in prole approbata, in prole conſecrata, in prole nobilitata, in prole ditata, & dotata, conſignata, & confirmata eſt tua Virginitas, o Maria. Heu quàm longè à gratia Mariæ ſunt, quicumque continentes non ſunt, qui caſtitatis inimici ſunt. Cùm ergo dulciſſimum Nomen Mariæ tantæ, ut ſupra dictum eſt, ſit gratiæ, ideo meritò hoc Nomen invocamus, ſecundùm quod Beatus Bernardus orans, ait: dulciſſimum Mariæ Nomen invocantibus Servulis per te, Regina clemens, gratiæ ſuæ munera largiatur Jesus Chriſtus filius tuus, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. Tu autem, &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII.

Lectio S. Evangelij Secundùm Lucam. c. 1.

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ, cui Nomen Nazareth, ad Virginem deſponſatam Viro, cui Nomen erat JOSEPH de domo David, & Nomen Virginis MARIA. Et reliqua.

De Homilia S. Bernardi Abbatis.

Homilia 2. ſuper miſſus eſt, circa finem.

ET nomen, inquit, Virginis Maria. Loquamur pauca, & ſuper hoc nomine, quod interpetratum Maris Stella dicitur, & Matri Virgini, valdè convenienter aptatur. Ipſa namque aptiſſimè ſyderi comparatur; quia, ſicut ſinè ſui corruptione ſydus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo parturivit filium. Nec ſyderi radius ſuam minuit cla-

claritatem, nec Virgini filius suã integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa Stella ex Jacob orta, cujus radius universum Orbem illuminat, cujus splendor, præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiã perlustrans: & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fovet virtutes, excoquit vitia. Ipsa, inquam, est præclara, & eximia Stella super hoc mare magnum, & spatiosum, necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis. Tu autem, &c.

LECTIO VIII.

O quisquis te intelligis in hujus sæculi profluvio, magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare; ne avertas oculos à fulgore hujus syderis, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice Stellam, voca Mariam. Si jactaris superbiæ undis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice Stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis; respice ad Mariam. Si criminũ immanitate turbatus, conscientiæ fæditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso; cogita Mariam. Tu autem, &c.

LECTIO IX.

IN periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde, &, ut impetres ejus orationis suffragium, non deseras conversationis exemplũ. Ipsam sequens, non devias; ipsam rogans, non desperas; ipsam cogitans, non erras; ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitia pervenis, & sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit: & Nomen Virginis Maria. Tu autem, &c.

In

In Festo S. JOSEPHI à CUPERTINO Confessoris Ordinis Minorum S. Francisci Conventualiū.

Duplex minus.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ sequuntur.

IN PRIMIS VESPERIS.

Ad Magnificat, Antiphona.

Mortuus sum, & vita mea est abscondita cum Christo in Deo.

O R A T I O.

DEUS, qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum à terra, omnia trahere disposuisti: perfice propitius, ut meritis, & exemplo Seraphici Confessoris tui JOSEPHI supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad eum pervenire mereamur. Qui tecum vivit, & regnat, &c.

In primo Nocturno.

LECTIO I. CAP. 4. *v.* 6. *ad* 12.

De Epistola secunda B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

DEUS, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi JESU. Habemus autem thesaurum istium in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortificationē Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. Tu autem &c.

℟. Euge serve bone &c.

 LE-

LECTIO II. CAP. 5. *v.* 1. *ad* 9.

SCimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ: de Cœlo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam, & qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati eo quod nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur, quod mortale est, à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.) Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Tu autem &c.

℟. Justus germinabit &c.

LECTIO III. CAP. 12. *v.* 1. *ad* 10.

SI gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones, & revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sivè in corpore, sinè extra corpus, nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium Cœlum. Et scio hujusmodi hominem (sivè in corpore, sivè extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum; & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem autem dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut disce-

discederet à me: & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Tu autem &c.

Iste cognovit justitiam &c.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

JOSEPHUS à CUPERTINO, Oppido in Salentinis Diœcesis Neritonensis, anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo tertio, piis ibidem parentibus ortus, Deique amore præventus, pueritiam, atque adolescentiam summa cum simplicitate, morumque innocentia transegit. A diuturno, molestoque morbo patientissimè tolerato Deiparæ Virginis, ope liberatus, se totum pietatis operibus, ac excolendis virtutibus dedit: utque Deo ad majora vocanti se intimius conjungeret, Ordini Seraphico nomen dare constituit. Post varios eventus voti tandem compos factus, apud Minores Conventuales in Cœnobio Cryptulæ, inter Laicos primum ob literarum imperitiā, deinde inter Clericos Divina dispositione connumeratus est. Sacerdotio post solennia vota initiatus, perfectius sibi vitæ institutū proposuit. Quamobrem mundanis quibuscumque affectibus; terrenisque rebus penè ad vitam necessariis illicò à se abdicatis, ciliciis, flagellis, catenis, omni demùm asperitatum, ac pœnarum genere corpus afflixit, spiritum verò Sanctæ orationis, altissimæque contemplationis assiduitate dulciter enutrivit. Hinc factum est, ut Charitas Dei, quæ jam erat in ejus corde à prima ætate diffusa, miro, planeque singulari modo in dies coruscaverit. Tu autem &c.

Honestum fecit &c.

LECTIO V.

ELuxit præcipue ardentissima ejus charitas in ecstasi-

ſtaſibus ad Deum ſuaviſſimis, ſtupendisque raptibus, quibus frequenter afficiebatur. Mirũ autem, quod alienato à ſenſibus animo ſtatim ab ecſtaſi eum revocabat ſola obedientia. Hanc quippe virtutem eximio ſtudio proſequebatur, dicere ſolitus, ſe ab ea veluti cæcũ circumduci, & mori potiùs velle, quam non obedire. Paupertatem verò Seraphici Patriarchæ ita æmulatus eſt, ut morti proximus Prælato ſuo aſſerere verè potuerit, ſe nihil habere, quod more Religioſorum reſignaret. Itaque Mundo, ſibique mortuus, vitam Jesũ manifeſtabat in carne ſua, quæ dum in aliquibus ex turpitudine obſcænum flagitium ſentiebat, prodigioſum de ſe efflabat odorem, indiciũ nitidiſſimæ illius puritatis, quam, immundo Spiritu vehementiſſimis tentationibus fruſtra obnubilare diu conante, ſervavit illæſam, tùm arcta ſenſuum cuſtodia, tùm jugi corporis maceratione, tùm denique ſpeciali protectione puriſſimæ Virginis Mariæ, quam Matrem ſuam appellare conſuevit, ac veluti Matrem dulciſſimam intimo cordis affectu venerabatur, eamque ab aliis venerari exoptabat, ut cum ejusdem patrocinio, ſicut ipſe aiebat, omnia bona conſequerentur. Tu autem &c.

℟. Amavit eum Dominus &c.

LECTIO VI.

HÆc Beati Joſephi ſollicitudo à ſua erga Proximos charitate prodibat; tanto enim animarum zelo exardebat, ut omnium ſalutem modis omnibus inſtantiſſime procuraret. Extendens pariter charitatem ſuam in Proximum ſive pauperem, ſive infirmum, ſive quacumque alia tribulatione vexatum, quantum in ipſo erat, illum recreabat. Nec alieni erant ab ejus charitate, qui objurgationibus, probris, omnisque generis injuriis ipſum appeterent; nam eadem patientia, manſuetudine, vultusque hilaritate

talia

talia excipiebat, qua tot inter, ac tantas vicissitudines resplenduit, dum vel Moderatorum Ordinis, vel Sacræ Inquisitionis jussu hac illac errare, versarique coactus est. Quamquam verò Populi non solum, sed Viri Principes eximiam ejus sanctitatem, & superna charismata admirarentur; ea nihilominus erat humilitate, ut magnũ se peccatorem reputans, Deum enixè deprecaretur, ut sua ab eo illustria dona removeret; homines verò exoraret, ut in eum locum mortuum ejus corpus injicerent, ubi memoria sui esset prorsus obliterata. At Deus, qui ponit humiles in sublime, quique servum suum, dum viveret, cœlesti sapientia, prophetia, cordiũ perscrutatione, curationnm gratia, cæterisque donis cumulatissimè exornaverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse antea prædixerat, loco, ac tempore, anno ætatis suæ sexagesimo primo, Auximi in Piceno pretiosam reddidit, sepulchrumque gloriosum. Illũ denique etiam post obitum miraculis coruscantem Benedictus Quartusdecimus Beatorum, Clemens Tertiusdecimus Sanctorum fastis adscripsit, ejus autem Officium, & Missam CLEMENS Quartusdecimus ejusdem Ordinis ad Universam Ecclesiam extendit. Tu autem &c.

℟. Jste homo perfecit &c.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 22.

Lectio Sancti Evangelii Secundùm Matthæum.

IN illo tempore loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum, & Pharisæis in parabolis dicens: Simile factum est Regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Lib: 2. Homiliar: Homil: 38. circa medium.

QUia jam, largiente Domino, Nuptiarum Domum, idest Sanctam Ecclesiã, intrastis, soler-

 ter,

ter, Fratres, aſpicite, ne aliquid de mentis veſtræ habitu Rex ingrediens reprehendat. Cum magno enim cordis timore penſandum eſt, quod protinus ſubditur: Intravit autem Rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem, non veſtitum veſte nuptiali. Quid, Fratres chariſſimi, exprimi per nuptialem veſtem putamus? Si enim veſtem nuptialem baptisma, vel fidem dicimus, quis ſine baptismate, & fide has nuptias intravit? Eo enim ipſo foris eſt, qui necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptialem veſtem, niſi charitatem? Intrat enim ad nuptias, ſed cum nuptiali veſte non intrat, qui in Sancta Eccleſia aſſiſtens fidem habet, ſed charitatem non habet. Rectè enim charitas nuptialis veſtis vocatur, quia hanc in ſe Conditor noſter habuit, dum ad ſociandæ ſibi Eccleſiæ nuptias venit. Tu autem, &c.

℟. Jſte eſt, qui ante Deum &c.

L E C T I O VIII.

SOla quippe dilectione DEI actum eſt, ut ejus Unigenitus mentes ſibi electorum hominum uniret. Unde & Joannes dicit: Sic enim dilexit Deus Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eamdem Charitatem innotuit veſtem eſſe nuptialem. Omnis ergo veſtrum, qui in Eccleſia poſitus Deo credidit, jam ad nuptias intravit: ſed cum nuptiali veſte non venit, ſi charitatis gratiam non cuſtodit. Et certè Fratres, ſi quis ad carnales nuptias eſſet invitatus, veſtem mutaret, congaudere ſe Sponſo & Sponſæ ex ipſo ſui habitus decore oſtenderet, inter gaudentes, & feſta celebrantes deſpectis veſtibus apparere erubeſceret. Nos ad Dei nuptias venimus, & cordis veſtem mutare diſſimulamus. Congaudent Angeli, cum ad Cœlū aſſumuntur electi. Qua ergo

mente

mente hæc ſpiritualia Feſta conſpicimus , qui nu-ptialem veſtem , ideſt charitatem , quæ ſola nos ſpe-cioſos exhibet, non habemus. Tu autem &c.

℟. Sint lumbi veſtri &c.

L E C T I O IX.

SCiendum verò eſt, quia ſicut in duobus lignis, ſuperiore videlicet, & inferiore veſtis texitur: ita in duobus præceptis charitas habetur, in dile-ctione ſcilicet Dei, & Proximi. Scriptum quippe eſt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & proximum tuum ſicut te ipſum. Qua in re notan-dum eſt, quia in dilectione Proximi menſura amoris ponitur, cum dicitur: Diliges proximum tuum ſi-cut te ipsū. Dei autem dilectio nulla menſura con-ſtringitur, cum dicitur: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua. Non enim jubetur quisque quantum diligat, ſed ex quanto, cum dicitur, ex toto: quia ille veraciter Deum diligit, qui ſibi de ſe nihil re-linquit. Duo ergo neceſſe eſt ut charitatis præcepta cuſtodiat, quisquis habere in nuptiis veſtem nuptia-lem curat. Tu autem &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

Oſtendit mihi (Dominus) fluvium aquæ vivæ, ſplendidum tamquam cryſtallum procedentem de ſe-de Dei, & Agni.

IN SECUNDIS VESPERIS.

Ad Magnificat, Antiphona.

Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter emi-nentem ſcientiam JESU Chriſti Domini mei.

In Feſto Beati LADISLAI de GIELNIOW.

Ordinis Minorum de Obſervantia.

Duplex 1mæ Claſ: ſine Octava.

Omnia de Communi Confess: non Pontif: præter Orationem, & Lectiones II. & III. Nocturni.

O R A T I O.

DEUS, qui Beatum LADISLAUM religiosa perfectione voluisti omnibus prælucere, concede propitius, ut ejus exemplo in virtutibus jugiter proficiamus. Per Dominum nostrũ Jesum Christum &c.

In secundo Nocturno.

L E C T I O IV.

LADISLAUS in Oppido Gielniovii Diœcesis Gnesnensis in Polonia natus, mira vitæ innocentia pueritiam transegit. Adhuc adolescens in Ordine Fratrum Minorum Observantium Sancti Francisci, quorũ antiquam disciplinam Sanctus Joannes à Capistrano non diu ante in Polonia propagaverat, solemnia vota nuncupavit. In arrepta religiosæ perfectionis via ita profecit, ut absolutæ sanctitatis exẽplar videretur. Assiduis jejuniis, & vigiliis corpus subegit: orationis, & contemplationis gratiâ, charitate, humilitate, aliisque religiosi hominis virtutibus maximè enituit, ac regularem inprimis observantiam ardenti zelo promovit.

℟. Honestum &c.

L E C T I O V.

CUm cæteris, sanctitate, zelo, ac doctrinâ prælucerct., ad regimen sui Ordinis assumptus est: sæpè Custodis Conventus Varsaviensis, & Vicarii Provinciæ Polonæ munus summa cum laude obivit. Divini verbi prædicationis operam navavit egregiã. Præ aliis autem virtutibus obedientiam, ac propriæ voluntatis abdicationem maximè coluit; cùm enim ei Cœnobii optio daretur, & Socii, qui famularetur, è Superiorum nutibus pendere se velle professus est. Singulari pietate, ac devotione erga Christi Domini Passionem afficiebatur, quæ tam altè ipsius

menti

menti hærebat, ut illius memoriam ſuis in concionibus numquam omitteret. ℟. Amavit &c.

LECTIO VI.

SAcro Paraſceves die cum de Dominica Paſſione ad Populum concionem haberet, eique Chriſti dolores, & cruciatus præ oculis poneret, ſacratiſſimũ Jesus Nomen ingeminans, in extaſim raptus eſt, & ſuper ambonam univerſo ſpectante populo elevatus. Mox languore correptus, plenus meritis, ac omnibus Eccleſiæ Sacramentis ritè, ſanctéque refectus migravit ad Dominũ quarto nonas Maij anno milleſimo quingenteſimo quinto, & in Eccleſia ſui Ordinis Vatſaviæ ſepultus eſt. Ejus merita, & ſanctitatem ſtatim poſt mortem miraculis Deus comprobavit; præſentemque in ſuis calamitatibus opem agnoſcentes Poloni, & Lituani inter ſuos primarios Patronos Beatum Ladislaum adlegerunt. Ipſius cultũ Summus Pontifex Benedictus Quartusdecimus ratum habuit, & Apoſtolica auctoritate amplificavit.

℟. Jſte homo &c.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 12.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit Jesus diſcipulis ſuis: Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chryſologi Epiſcopi.

HOdie Dominus Evangelici gregis puſilla, & tenera primordia quam blanda exhortatione ſit conſolatus, audiſtis: Nolite timere, inquit, puſillus, grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Aufert ſpes anxias, dubios tollit eventus, omnemque propellit, & excludit timorem, quando in exordio ipſum regnum naſcentibus pollicetur: Quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis regnũ.

Quis de fructu, quis de veſtitu, quis de plebeio cenſu, & vernalis ceſpitis utilitate ſuſpirat? De regno certus, de dominatione ſecurus, ſatis ſibi invidet, qui elevatus ad ſumma ipſe ſe ad humilia deijcit, ad egena deponit.

℟. Jſte eſt qui ante Deum &c.

LECTIO VIII.

SEd ſcire convenit, Pater iſte quis eſt, vel qualis eſt, vel quod regnũ filiis ſuis repromittit. Quis ſit iſte Pater, quotidie te confitente, cognoſcis, cùm clamas: Pater noſter qui es in Cœlis. Qualis autem ſit, ipſa operum magnitudine pervidiſti: Ex nihilo fecit Cœlum, terram ſolidavit ex liquido, montes ſtatuit, ad ſtateram, maria intra legitimos terminos, ſola præcepti auctoritate, concluſit. Verum ſi regni, quod promittit puſillis, deſideras noſcere qualitatem, ipſe aperit ſic dicendo: ſinite parvulos venire ad me, talium eſt enim regnum Cælorum.

℟. Sint lumbi veſtri præcincti &c.

LECTIO IX.

ESſe in Cœlo mirum eſt, in Cœlo vivere eſt Majeſtatis: jam regnare in Cœlo quanti ſit, ſenſus deſinit æſtimare mortalis; & tamen homo, quod æſtimare non potes, percepiſti, Apoſtolo ſic dicente: quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe; & quod te mereri dubitas: habere te, & poſſidere, jam cogeris confiteri. Quid ergo cum terra illi, qui poſſidet Cœlum? Quid illi cum humanis, qui adeptus eſt jam divina? Niſi fortè placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, peſſima mors delectat, & illata mala bonis ſunt gratiora collatis.

Te Deum laudamus.

In

In Festo S. JOSAPHAT E. M. Duplex.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus qui Beatum JOSAPHAT palmâ Maryrii condecorando, Ecclesiæ Catholicæ Novum apud Te intercessorem providisti, quæsumus ut ejus meritis, & auxilio à malis omnibus liberati, Tuo Nomini studiosius serviamus. Per Dominum &c.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

BEatus JOSAPHAT Konczevius Martyr, natus est Anno Dni 1584. Volodomeriæ, ubi puer admodum, Scintillâ è Crucifixi Christi imagine ad pectus ejus delapsâ, ad futuram Sanctitatem initiatus est. Juveniles Annos egressus, Vilnæ habitum, & disciplinam Religiosorum Ordinis S. Basilii magni, Ordinemque ad ædes SS. Trinitatis, quam Uniti obtinebant, suscepit. Tu autem &c.

LECTIO V.

DEinde Sanctæ memoriæ Valeriano Rucki se conjunxit, & cum illo plurimum in restauratione Ordinis S. Basilii, Russis ad unionem cum Sancta Romana Ecclesia revocandis laboravit, sui contemptor atque afflictor mirus, alienæ salutis, divinique honoris indefessus Zelator, Schismaticorum & hæreticorum ita fortunatus ad Ecclesiam aggregator, ut ab illis vulgo nuncuparetur Raptor animarum. Tu autem &c.

LECTIO VI.

PRimum Archimandrita Vilnensis, deinde Archi-Episcopus Polocensis, post multos labores & pericula suscepta, Vitã denique pro Sacra Unione posuit Vitepscii in Civitate suæ Diæcesis Anno 1623. cum noctu in Orationibus in terra procumbens vacaret, à plebe Schismatica invasus, & in Dzvina sub-

submersus. Unde Corpus ejus extractum Polociæ in Cathedrali Ecclesia Sepultum est. In vita Virtutibus claruit, post mortem à Deo illustratus, ab Urbano VIII. Anno Domini 1642. Die 4. Decembris Beatorũ Martyrum Cathalogo annumeratus est. Tu autem &c. *In 3. Noct: Hom: Super: Evang:* Si quis vult post me venire.

OCTOBER.

In Festo B. VINCENTII KADŁUBEK de ROSIS Episcopi Cracoviensis & deinde Monachi professi in Monasterio Andreioviensi Ordinis Cisterciensis. Officium sub Ritu Duplicis Majoris.

Omnia de Com: Conf: Pont: præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui B. VINCENTIUM Confessorem tuũ, atque Pontificem spretis sæculi pompis humilitatis gloria decorasti; præsta quæsumus, ut tantæ virtutis proficientes exemplo, ejus meritis cœlestis gloriæ consortes efficiamur. Per Dominũ nostrũ &c.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

VINCENTIUS Kadłubkovius Polonus natus est, ut antiqua acta ferunt, in Villa Karwow Diœcesis Cracoviensis Palatinatus Sandomiriensis ex vetustissima Rosarum Familia, Patre Bogumilo, Matre Benigna sangvinis claritate, & pietate illustribus, à quibus in Fide Catholica, & in timore Domini Sancte educatus plura edidit in ipsis teneris annis sanctitatis specimina, innocentia morum, jugi orandi studio, humilitate, modestia, ac prompta erga suos parentes obedientia. Adolescens factus Philosophicis, ac Theologicis studiis imbutus, cum literarum studio singularem pietatem semper copulans, otium, & pravorum consortia abhorrens, orationi addictus,

Sacramenta frequentans, aliosque Christianæ pieta-
tis actus forti animo exercens. Tanta Sanctimonia
vitæ captus Fulco Episcopus Cracoviensis Vincentiũ
inter suos cooptavit, ejusque opera usus est in regi-
mine suæ Diœcesis, cum præter eximiam vitæ inte-
gritatem acri etiam polleret ingenio, singularique
prudentia: sacerdotio initiatus, evectus fuit ab eo-
dem Episcopo ad Præposituram insignis Collegiatæ
Sandomiriensis, in qua dignitate omnes sui mune-
ris partes adeo sancte adimplevit, ut exemplar fa-
ctus modestiæ, castimoniæ, aliarumque virtutum
promeruerit designari à Lesco Albo Poloniæ Rege
in Oratorem, ut propriam Filiam Beatam Salomeã
in sponsam deduceret ad Regem Haliciæ. Defuncto
interea eodẽ Fulcone Episcopo Cracoviensi, assum-
ptus ille fuit ad eandem sedem, electionem confir-
mante Innocentio III. Pontifice Maximo. Tu au-
tem, &c.

℟. Inveni David servum meum, oleo Sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim.

LECTIO V.

IN Episcopatu exemplum se præbuit bonorum operum, & commissum sibi gregem pascens monitis, consiliis, scientia, verbo & exemplo ita insectatus est pravos populorum mores, ut collapsam pietatem in pristinum restituerit, Catholicæ Fidei insignis propagator, & Ecclasiasticæ jurisdictionis vindex acerrimus. Eximia inclaruit prudentia, charitate, mansvetudine, & misericordia in pauperes. Zelus domus Dei ita illum comederat, ut reparationi, & opportunis Ecclesiarum proventibus impense consulens, nedum ex Mensæ Episcopalis reditibus, sed & de hæreditario patrimonio illas dotaverit. Eximiũ verò

ejus

ejus religionis argumentum fuit, dum insigne erogavit peculium, ut in Templo Cathedralis Cracoviensis lampas accensa coram Altaris Sacramento perpetuo asservaretur. Tu autem &c.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo Sancto meo unxi eum. Manus enim.

LECTIO VI.

DEcurrente verò decimo ejus Episcopatûs anno Evangelicæ perfectionis cupidus in Religiosa castra secedere decrevit, ut Cœlestium rerum contemplationi, & rigidiori vitæ instituto vacare posset; Hinc forti animo precibus, & lacrymis devicta Capituli, & populi Cracoviensis contractione prævio beneplacito Pontificis Honorii III. omnia sua dispersit, ac dedit pauperibus: & Insigniis Episcopalibus depositis coram Collegio Canonicorum Cracoviensiũ nudis pedibus proficiscens per decem leucas se contulit ad Cænobium Andreoviense, in quo Monasticam vitam Ordinis Cisterciensis professus est: ibique regulari observantia, jejuniis, & cœlestium rerũ contemplatione quinque jugitur annis omnibus præluxit, pluribus etiam supernaturalibus donis à Deo locupletatus. Plenus tandem dierum, & operũ pretiosam in conspectu Domini mortem obivit die octava Martii anno 1223. Famâ Sanctitatis, & Miraculorum clarus. Ecclesiasticũ ejus cultum ritè probatum confirmavit Clemens XIII. Pontifex Maximus, qui & has Lectiones proprias ejus in honorem recitandas concessit. Tu autem, &c.

℟. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia regna. Ipſe. Gloria Patri. Ipſe.

In Feſto B. JOANNIS CANTII Confeſſoris P.R.P.

Duplex primæ Claſſis cum Octava.

Omnia de Communi Confeſſ: non Pontif: in primo Ordine. Præter ea, quæ ſequuntur.

O R A T I O.

DA quæſumus Omnipotens, & miſericors DEUS ut B. JOANNIS Confeſſoris tui exemplô, miſericordiam aliis exhibentes meritis ejus apud te miſericordiam conſequamur. Per Dominum noſtrũ &c.

In ſecundo Nocturno.

L E C T I O IV.

JOANNES in oppido Kanty Cracovienſis Diœceſis, à quo CANTII cognomen duxit Stanislao & Anna piis & honeſtis Parentibus natus, morum ſuavitate, ab ipſa infantia ſpem fecit maximæ virtutis. In Univerſitate Cracovienſi Philoſophiæ ac Theologiæ primum Auditor, tum per omnes Academiæ gradus aſcendendo, Profeſſor ac Doctor, ſacrâ, quam annis multis tradidit, doctrinâ, mentes audientium non illuſtrabat modò, ſed ad omnem pietatem inflammabat, ſimul docens ſcilicet, & faciens. Sacerdos factus nihil de literarũ ſtudio remittens, ſtudiũ auxit Chriſtianæ perfectionis. Utque paſſim offendi Deum maximè dolebat: ſic eum ſibi & populo placare, oblatô quotidie, non ſine multis lacrymis incruentô Sacrificiô ſatagebat. Ilcuſienſem Parochiam annis aliquot egregiè adminiſtravit, ſed animarum periculô commotus poſtea dimiſit: ac poſtulante Academia ad priſtinũ docendi Officiũ rediit. ℟. Honeſtũ.

L E C T I O V.

QUidquid temporis à ſtudio ſupererat, partim ſaluti proximorum, ſacris præſertim Concionibus curan-

curandæ, partim Orationi dabat, in qua cœleſtibus quandoque viſionibus, & colloquiis dignatus fertur. Chriſti verò Paſſioni ſic afficiebatur, ut in ea contemplanda totas interdum noctes duceret inſomnes, ejusque causâ melius recolendæ Hieroſolimam peregrinatus ſit; ubi & Martyrii deſiderio flagrans, Turcis ipſis Chriſtum Crucifixum prædicare non dubitavit. Quare etiam ad Apoſtolorum limina, pedes atque viaria onuſtus ſarcina Romam venit, tum ut Sedem Apoſtolicam, cui maximè addictus fuit, honoraret, tum ut ſui (ſic enim ajebat) purgatorii pœnas expoſita illic quotidie peccatorum venia redimeret. Quo in itinere à latronibus olim ſpoliatus, & num quid haberet præterea, interrogatus cùm negâſſet, aureos deinde aliquot ſuo inſutos pallio recordatus, fugientibus hos etiam clamans obtulit latronibus; qui Viri Sancti candorem ſimul & largitatem admirati, etiam ablatos ultro reddidêre. Alienæ famæ ne quis detraheret, deſcriptis Beati Auguſtini exemplô in pariete verſiculis, ſe atque alios perpetuo voluit admonitos. Famelicos de ſuo etiam obſonio ſatiabat; Nudos autem non emptis modo, ſed detractis quoque ſibi veſtibus & calceis operiebat. Demiſſo ipſe interim usque ad terram pallio, ne domum nudipes redire videretur. ℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

Brevis illi ſomnus, atque humi, veſtis, quæ nuditatem, cibus, qui mortem duntaxat arceret. Virginalem pudicitiam velut lilium inter ſpinas, aſpero colició, flagellis, atque jejuniis cuſtodivit. Quin & per annos ante obitum triginta circiter & quinque, ab eſu carnium perpetuò abſtinuit. Tandem dierum juxta ac meritorum plenus cùm vicinæ, quam præſenſit, morti ſe diu, diligenterque præparâſſet; ne qua re ampliùs teneretur, ſi quid domi ſupere-

pererat, id omne pauperibus diſtribuit. Tum Eccleſiæ Sacramentis rite munitus diſſolvi jam cupiens, & eſſe cum Chriſto, pridie Nativitatis ejus in Cœlum evolavit: Miraculis ante, & poſt mortem clarus, Mortuus ad proximam Academiæ Eccleſiam S. ANNÆ delatus eſt, ibique honorificè ſepultus. Auctaque in dies populi veneratione, ac frequentia inter primarios Poloniæ, ac Lithvaniæ Patronos religioſiſſimè colitur. ℟. Jſte homo.

Infra Octavam Lectiones dicuntur, ut infra Octavam Sancti Stanislai Koſtka.

In Feſto S. JOANNIS à CAPISTRANO
Confeſſoris. Duplex minus.

Ant: ad Magnif: in utrisq; Veſp: & ad Benedictus.

O Zelator fidei, Perſecutor Hæreticorum, lumen virtutũ, Exterminator Turcarum, Prædicator egregie, Doctor populorum, Joannes fideliſſime Ordinis Minorum, eſto nobis præſidium è Regno Beatorum.

O R A T I O.

DEus, qui Eccleſiam Tuam Beati Joannis meritis, & doctrinis mirabiliter ſublimâſti, & per eum de perfidis Tyrannis in virtute Sanctiſſimi Nominis JESU, fideles tuos triumphare feciſti; præſta quæſumus, ut de inimicis noſtris ejus interceſſione prævalentes in terris, præmiari cum ipſo mereamur in Cœlis. Per Dominum noſtrum Jesum Chriſtum &c.

In primo Nocturno de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

L E C T I O IV.

CApiſtrani, Marſorum Oppido in Diœceſi Sulmonenſi, ortus eſt Beatus Joannes, Anno Domini, 1385. In Gymnaſio Peruſino, Chriſtianis, & liberalibus diſciplinis inſtructus, aliquando rembublicam geſſit; ſed poſtea Dei monitu ad ſanctius miniſteriũ

vocatus, in eadem Civitate Ordinem Fratrum Minorum, qui à Regulari Obſervantia nuncupatur, à ſe ferventiſſimis votis expetitum, quamvis repulſus, durisque, & publicis quoque experimentis probatus, maximè alacris amplexus eſt Anno ætatis ſuæ 29. In divinis literis Magiſtro uſus eſt Beato Confeſſore Bernardino Senenſi, quem pro Sacratiſſimo Nomine Jeſu calumniis traductum, coram Martino Papa V. in Baſilica Beati Petri Principis Apoſtorum ſtrenuè defendit, eumdemque ipſe, & Beatus Jacobus à Marchia, per Nicolaum V. in Sanctorum Confeſſorum Canonem poſtea referendum curavit, Joannis doctrinæ, aſperrimæ pœnitentiæ, & ſanctitatis famâ indies creſcente, ad multas variasque Provincias, Chriſtianos mores, diſciplinamque verbo, & ſcriptis, quæ plurima edidit, inſtauratus, à Romanis Pontificibus ablegatur.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei. Et dedit.

LECTIO V.

Contra hæreticam pravitatem generalis Inquiſitor creatus, Fratricellorum ſectam feliciter compeſcuit: Reatinos, & finitimos populos inter ſe odiis, armisque certantes eloquii ſuavitate compoſuit. In Terris Romanæ Eccleſiæ citra Pharum, Joanna ſecunda Regina flagitante, Judaici fœnoris pravam licentiam evulſit. Martini V. Pontificis Maximi dormitionem, & Eugenii IV. (à quo pro magnis Eccleſiæ negotiis ad Inſubres, Siculos, & alios mittitur) ſucceſſionem prædixit. Aquilano Epiſcopatu recuſato, munus prædicandi Evangelium obire non ceſſavit, inquè plenario Florentinorum Patrũ Conventu, velut Sol quidam fulſit. Romæ Judæorum

Synagogæ Ministrum cum 40. Sectatoribus ad veritatis professionem reduxit. Ut hæreticos in sinum Ecclesiæ, & Principum animos in concordiam redigeret. Friderico III. Imperatore postulante, in Germaniæ partes à prædicto Nicolao mittitur.

℞. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stola gloriæ induit eum: * Et ad portas Paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

LECTIO VI.

IN Germania, Bohemia, Sarmatia, & Pannonia, sexennali peregrinatione, Hussitis, Adamitis, Taboritis, Hæbræisque innumeris ad Christianam veritatem, doctrinæ, sanctitatis & miraculorum luce conversis, Dei gloriam mirificè auxit. Ægros quam plurimos sanavit, mortuos suscitavit, mutis loquelam restituit. Denique totam Christianorum Rempublicā periclitantem ab immani Turcarum tyranno defensurus, se pro Domo Jsràél murum opposuit, dum Callistus Papa III. Joanne potissimum deprecante, Christianorum Militum, signo Crucis illustrium, expeditionem in Turcas Europæ incubantes decernit, statimque Joanne Pannoniam, Transilvaniam, Moldaviam, Valachiam, instar fulguris pervolante, septuaginta millia Christianorum conscribuntur, Crucisque vixillum ipso præferente, de centum, & viginti millibus hostium, toto Orbe mirante, vistoria reportatur. Joannes, his atque aliis præclarè gestis, ex corporis fatigatione lethali morbo contracto, Villacum, Pannoniæ inferioris Oppidum in agro Sirmiensi defertur, ubi Sanctis Ecclesiæ Sacramentis, maxima Religione susceptis, Anno Salutis, Millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto, decimo Kalendas Novembris, piè in Domino obiit. Quem post obitum æquè, ac in vita multis mi-

miraculis clarum Benedictus XIII. Papa, in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus; & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum corã me, ex omnibus gentibus. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad Cœlestia Regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Homilia Vener: Bedæ Presbyteri in Evangelium. Nolite timere pusillus grex &c: *ut in Communi Confessoris, non Pontificis 2do loco.*

Missa. Justus ut palma, *cum Oratione propria:* Deus qui Ecclesiam tuuam &c: *ut supra.*

NOVEMBER.

In Festo Beatæ SALOMEÆ Virginis, Ordinis S. CLARÆ duplex.

ORATIO.

DEUS, qui in Beata SALOMEA terreni Regni contemptum cum virginitatis candore in connubio sociasti, concede nobis quæsumus; ut ejus exemplo tibi casto & humili corde servientes, immarcescibilem coronã gloriæ in cœlis consequi mereamur. Per Dominum nostrũ Jesum Christum &c.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

SALOMEA regio sanguine Cracoviæ orta, Lesci quinti Poloniæ Principis & Grimislavæ Ducissæ Russiæ Filia, Boleslai Pudici Beatæ Cunegundæ Virginis Sponsi soror, ab ipsa infantia singularibus à Deo naturæ & gratiæ exornata donis, admiranda futuræ sanctitatis præmonstravit indicia. Ex tunc enim eluxit in ea optima indoles, & juncta morum suavitati, maturitas; pietati verò supra ætatem addicta,

dicta, adhuc puellula virginitatem ſuam Deo ſtatuerat conſecrandam.. Sed Parentum voluntati obſequi juſſa, qui Procerum Poloniæ permoti conſilio, ad graviſſima evitanda diſſidia, precibus Andreæ Hungarorum Regis annuerant, triennis in Hungariam abducitur, Colomano Regio Hungariæ Principi deſponſanda. Crevit ibi ſub optima diſciplina, in dies humanioribus literis & pietate proficiens; nuptiis ſubinde in legitima ætate celebratis, mutuo cũ ſponſo conſenſu virginitatem ſuã (ut conſtans ſcriptorum traditio eſt,) perpetuo illibatam ſervavit; cujus integritati ut proſpiceret, virorum colloquia declinans, triplici cilicio, jejuniis, vigiliis, & oratione ſe præmunivit.

LECTIO V.

COlomanô, Haliciæ ſceptrô in Ruſſia potito, Salomea etiam in regali ſolio Chriſto humiliter ſatagens famulari, ſæculi faſtum exoſa, ſplendidiorem, quo pro ſtatûs ſui ratione utebatur, ornatum depoſuit; iis deinceps contenta indumentis, quæ viduis dumtaxat geſtare moris erat. Integras ſæpe noctes contemplationi intenta traduxit, inter quam aliquando cœlitus emiſſa voce, ad maiorem terrenarum rerum contemptum roborari promeruit. Sponſo denique è vivis ſublato, Cracoviam revertitur; ubi & regias opes in excitandis Fratrum Minorum Clariſſarumve monaſteriis, ac pauperum ſublevandis inopiis inſumpſit, & altioris perſectionis ſuccenſa deſiderio, mundo nuntium remiſit, ac Sanctæ Claræ inſtitutum in Zavichoſtenſi profeſſa eſt monaſterio in loco extructum Cœnobium, quod Sanctæ Mariæ de Scala appellatur, una cum monialibus ſe contulit. Utrobique autem Abbatiſſæ munere functa, in exacta religioſarum legum cuſtodia, morificationis & patientiæ ſtudio ſe exercens, alumnis ſuis omnium virtutũ exemplar facta eſt & Magiſtra LE-

LECTIO VI.

COmpletis autem viginti octo monasticæ vitæ annis, dum inter Missarum solemnia Evangelii lectioni, qua à teneris annis delectabatur, attenderet, extremo morbo corripitur, statimque mortem intra octiduũ sibi imminere prophetico spiritu prænuntiavit; qua instante Sodales suas ad mutuæ pacis; charitatis & castitatis amorem cohortata, cœlesti denique, Deiparæ, cum puero Jesu sibi apparente recreata visione, ad immaculati Sponsi nuptias feliciter evolavit, die decima septima Novembris, Annô salutis Ducentesimo Sexagesimo octavo supra Millesimum, ætatis suæ sexagesimo septimo. Animã ipsius sub specie lucidissimi sideris ex ore prodeuntem se conspexisse adstantes Sorores memoriæ prodiderunt. Angelorum etiam concentus eadem hora auditi sunt. Percrebrescente autem ejus sanctitatis, & miraculorũ fama, corpus septimo ab obitu mense elevatum, & miro fragrans odore purissimoque liquore circumfusum, quo ægri peruncti statim sanati sunt, repertum, ad Cracoviensem Sancti Francisci Fratrum Minorum Ecclesiam (ut vivens optaverat) solemniter translatum, confluentes undique populi venerantur. Cultum hunc quatuor sæculorum decursu jugiter auctũ, riteque, recognitum Clemens Papa Decimus approbavit diemque obitus ipsius Ecclesiastico officio celebrandum indulsit.

In Festo S. STANISLAI KOSTKA S. J. Confessoris P. R. P.

Duplex 1mæ Clas: cum Octava.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis in primo ordine, præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui inter cætera sapientiæ tuæ miracula etiam

etiam in tenera ætate maturæ ſanctitatis gratiam contuliſti; da quæſumus, ut Beati STANISLAI exemplo, tempus inſtanter operando redimentes, in æternâ ingredi requiem feſtinemus. Per Dominum.

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

STANISLAUS, Senatoria Koſtkarum gente ortus in Polonia, quam olim eſſet militiam ſecuturus, nomen Jeſu prænunciavit, parituræ matris gremio divinitus inſcriptum. Virginitatem adhuc puer ita coluit, ut paterna in menſa, ſi quid minus pudicè dictum audiſſet, præ horrore exanimis corrueret. Ad Viennenſe in Auſtria Seminarium ſtudiorum cauſa miſſus non minus exemplo ſodalibus, quam venerationi fuit. Coactus inde in Lutherani hoſpitis ædes migrare, ibique à Paulo fratre ad liberiorem vitam omni etiam aſperitatum genere incitatus, domeſticum bellum toto biennio conſtantiſſimè ſuſtinuit, ad æterna ſe, non ad caduca natum affirmans. Itaque unicum illi erat rerum cœleſtium deſiderium, perpetua cum Deo conſuetudo, cultus Deiparæ adeo tener, ut Matrem ſuaviſſimè appellaret.

℟. Honeſtum fecit &c.

LECTIO V.

QUotidinæ fratris vexationi crebra ipſe jejunia, flagella, aliosque inſontis corpuſculi crutiatus adijciens, lethalem in morbum incidit. Quo ingraveſcente, cùm dæmonem horrendi canis ſpecie inſilientem ſigno Crucis ter fugaſſet, ſacrum Viaticum, quod in hæretica domo decumbens fruſtra ab hominibus petebat, ab Angelis accepit. Mox ad pueri Jeſu complexum à beatiſſima ejus Matre comiter admiſſus, ac Societati juſſus nomen dare, ſubito convaluit. Sed cùm aditum ad illam, Patris timor in Germania præcluderet, peregrini habitu ſolus, pe-

des, mendicus fugam arripit, certus non sistere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei beneficio prosperum fuit. Nam præter alia, Pauli profugum fratrem jam assequentis equii immisso divinitus torpore constiterunt. Et Stanislaus Angelorum pane iterum Angelico Ministerio refectus, post duodecies centena passuum millia, tandem Romæ in S. J. à Sancto Francisco Borgia Generali præposito meruit cooptari. ℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

TIronis emeriti virtutes in Religiosæ vitæ palestra splendidius eluxêre: Charitas præsertim erga Deum, in quem assiduè alienata à sensibus mente rapiebatur. Inde illi facies semper accensa, nonnumquam irradians, perennes lacrymæ, ardor pectoris tantus, ut media quoque hieme foret ingesta identidem gelida temperandus. Itaq; amore verius, quam febri æstuans, die Assumptæ in cœlum Virgini sacro ad ejus triumphalem pompam propius, ut optaverat spectandum, ab ipsa Beatarum Virginum choro stipata vocatus est ex Quirinali Domo Probationis, anno innocentis vitæ decimo octavo, operum plenior quàm dierum. Multis post obitum miraculis in sua præsertim Polonia enituit; cujus armis contra formidabiles Turcarum exercitus spectabilis è cœlo affuit non semel, & civitates alias peste, alias incendio liberavit. Quamobrem Clemens X. eum inter primarios totius Regni Patronos constituit. Benedictus verò XIII. (quod à Clemente XI. jam pridem fuerat decretum) in Sanctorum numerum retulit.

℟. Iste homo &c.

Secunda die infra Octavam.

In primo Nocturno.

Lectiones ex Dominica præcedente.

In

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

Sermo Sancti Joannis Chrysostomi.

Sermone de Martyribus, quòd aut imitandi, aut non laudandi.

QUi Sanctorum merita Religiosa charitate miratur, quique justorum glorias frequenti laude colloquitur: eorum mores Sanctos atque justitiam imitetur: quoniam, quem delectat Sancti alicujus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium. Quare aut imitari debet, si laudat, aut laudare non debet, si imitari detrectat; ut qui aliũ laudat, laudabilem se reddat: & qui Sanctorum merita admiratur, mirabilis ipse vitæ sanctitate reddatur. Nam si propterea justos fideles que diligimus, quòd in ipsis justitiam, fidemque suspicimus, possumus nos quoque esse quod sunt, si faciamus ipsi quod faciunt. ℟. Honestum fecit &c.

LECTIO V.

NEque enim difficile nobis est, quod ab ipsis geritur, imitari, cùm sine præcedenti exemplo ab antiquis talia gesta conspicimus, ut non ipsi aliorum æmuli redderentur, sed æmulandæ virtutis se ipsos nobis præberent exemplum: ut, dum nos ex ipsis, & ex nobis alii proficiunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclesia Sancta laudetur. Unde ab origine mundi innocens Abel occiditur, Enoch Deo placens transfertur, justus Noë invenitur, Abraham fidelis probatur, Moyses mansuetus dignoscitur: Jesus castus, David lenis, Elias acceptus, Daniel Sanctus, tres pueri victores redduntur. ℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

APostoli discipuli Christi credentium Magistri habentur, è quibus eruditi Confessores fortissimi pugnant, Martyres perfecti triumphant, & Christiani

ni ſemper exercitus diabolum Deo armati debellant. In iſtis ſemper pares virtutes, diſſimiles pugnæ, glorioſæ victoriæ. Unde tu Chriſtiane delicatus es miles, ſi putas te poſſe ſine pugna vincere, ſine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio iſto concerta. Conſidera pactum, & conditionem attende, militiam noſce: pactum quod ſpopondiſti, conditionem qua acceſſiſti, militiā cui nomen dediſti. ℟. Iſte homo &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 12.

Lectio S. Evangelij Secundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua.

Homilia 13. in Evangel.

SEd veniens Dominus, quid ſervis vigilantibus exhibeat, audiamus: Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet eos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Præcinget ſe, id eſt, ad retributionem præparabit. Et faciet illos discumbere, id eſt, in æterna quiete refoveri. Diſcumbere quippe noſtrum in regno quieſcere eſt. Unde rurſum Dominus dicit: Venient, & recumbent cum Abraham, Jſaac & Jacob. Tranſiens autem Dominus miniſtrat, quia lucis ſuæ illuſtratione nos ſatiat. Tranſire vero dictum eſt, cùm de judicio ad regnum redit.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum &c.

L E C T I O VIII.

SEd quid ſi ſervi in prima vigilia negligentes exiſtunt? Prima quippe vigilia primæ ætatis cuſtodia eſt. Sed neque ſic deſperandum eſt, & à bono opere ceſſandum. Nam longanimitatis ſuæ patientiam inſinuans Dominus ſubdit: Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita

inve-

invenerit, beati ſunt ſervi illi. Prima quippe vigilia primævum tempus eſt, id eſt, pueritia. Secunda adoleſcentia vel juventus, quæ auctoritate ſacri eloquii unum ſunt, dicente Salomone: Lætare juvenis in adoleſcentia tua. Tertia autem ſenectus accipitur. ℟. Sint lumbi &c.

LECTIO IX.

QUi ergo vigilare in prima vigilia noluit, cuſtodiat vel ſecundam, ut qui converti à pravitatibus ſuis in pueritia neglexit, ad vias vitæ ſaltem in tempore juventutis evigilet. Et qui evigilare in ſecunda vigilia noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat: ut qui in juventute ad vias vitæ non evigilat, ſaltem in ſenectute reſipiſcat. Penſate, fratres chariſſimi, quia concluſit Dei pietas duritiam noſtram. Non eſt jam, quid homo excuſationis inveniat. Deus deſpicitur: & expectat: contemni ſe videt & revocat: injuriam de contemptu ſuo ſuſcipit, & tamen quandoque revertentibus etiam præmia promittit. Te Deum laudamus.

Tertia die infra Octavam.

In primo Nocturno Lectiones de ſcript: occur:

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

De Sermone S. Joannis Chryſoſtomi.

De S. Philogon.

AD hanc beatam requiem tranſiit Beatus STANISLAUS. Quænam igitur oratio par ſit viri laudibus, quem Deus tam felici ſorte dignatus eſt? Non eſt ulla. Sed age, dic mihi, num idcirco ſilebimus, & cujus rei gratia convenimus? An dicemus nos haud poſſe magnitudinem geſtorum oratione conſequi? Atqui ob hoc ipſum neceſſe eſt dicere, quandoquidem hæc eſt præcipua laudum illius pars, quòd

factis

factis verba æquiparari non possint. Nam quorum benefacta naturam etiam superant mortalem, perspicuum est, quod horum laudes excedunt linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, quod pro viribus præstamus; sed suum imitabitur Dominū. Siquidem & ille, viduæ duos tantum obolos dejicienti in gazophylacium, non tantum duorum obolorum mercedem reddidit.

℟. Honestum fecit &c.

LECTIO V.

PRoinde, quamvis nostræ facultates exiguæ sint, minimique pretii, attamen, quæ possumus, offerimus. Ea licet non respondeant magnitudini meritorum animæ præclari, justique Stanislai, tamen hoc ipsum celsitudinis illius maximum fuerit argumentum, quòd nec pusilla repellat; sed ibidem faciat, quod solent divites. Siquidem illi, cum acceperint à tenuibus exigua, quibus non egent: sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui quod poterant obtulerint. Itidem & hic, cum acceperit à nobis laudem verbis peractam, qua nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper uti possimus. ℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

UNde igitur laudationem illius auspicabimur? An à magistratu, quem spiritus illi tradidit gratia? Nam mundani magistratus nequaquam possunt Christianorum demonstrare virtutes; quin potius frequenter habent accusationem malitiæ. Quã ob causam? Quoniam & solicitudines amicorum, & circumcursationes, & adulationes, aliaque permulta his fœdiora tales magistratus solent conciliare. Cœterum, ubi Deus suo suffragio designarit aliquem, incorruptum suffragium, alienum ab omni suspicione judicium, indubitata fuerit dilecti comprobatio,

propter ejus, qui delegit, auctoritatem.
℟. Iste homo &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 12.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Sermone 108. *in Lucam.*

AUdistis modo Evangelium, quid monuerit nos, cautos nos faciens, volens esse expeditos & paratos ad expectanda novissima: ut post novissima, quæ sunt in hoc sæculo metuenda, succedat requies, quæ non habet finem. Beati qui participes facti fuerint. Erunt autem tunc securi, qui modo non sunt securi: & iterum tunc timebunt, qui modo timere nolunt. Ad hanc expectationem & propter hanc spem Christiani facti sumus. ℟. Iste est &c.

LECTIO VIII.

NOnne spes nostra non est de hoc sæculo? Non amemus sæculum. Ab amore sæculi hujus vocati sumus, ut aliud sæculum speremus & diligamus. In hoc abstinere nos debemus ab omnibus illicitis concupiscentiis, hoc est, lumbos accinctos habere debemus, & fervere & lucere in operibus bonis, hoc est, lucernas ardentes habere. Dixit enim ipse Dominus discipulis suis alio loco Evangelii: Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. ℟. Sint lumbi &c.

LECTIO IX.

ET ut ostenderet, unde dicebat, subjecit, & ait: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona facta vestra, & glorificent Patrem ve-

strum,

ſtrum, qui in cœlis eſt. Ideo lumbos noſtros accinctos eſſe voluit, & lucernas ardentes. Quid eſt lumbos accinctos? Declina à malo. Quid eſt lucere? Quid eſt lucernas ardentes habere? Hoc eſt: Et fac bonum. Quid eſt, quod adjunxit & ait: Et vos ſimiles eſtote hominibus expectantibus Dominum ſuũ, quando veniat à nuptiis: niſi quod in illo pſalmo ſequitur: Inquire pacem & ſequere eam?

Te Deum laudamus.

Quarta die infra Octavam.

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

De Sermone S. Joannis Chryſoſtomi.

QUantum autem ſit pietatis argumentum, quòd Deus illum tanto magiſtratu dignum judicarit, audi: Chriſtus excitatus à morte, quid dicit Petro? Poſtquam enim illum interrogaſſet: Petre, amas me? isque reſpondiſſet: Tu Domine, ſcis, quod amo te; dicit illi: Si diligis me, paſce oves meas. Hoc autem dicebat, non ſolum ut nobis certiſſimè declararet, quantopere ipſum diligeret Petrus; verum etiam ut palam faceret, quantam haberet benevolentiam erga ſuas oves. Itaque ſi quis voluerit illi commendatus eſſe, curam habeat ovium illius, publicã quærat utilitatem, fratrum ſuorum ſaluti proſpiciat.

Honeſtum fecit &c.

LECTIO V.

NUllum enim Officium hoc Deo charius eſt, & ob id alicubi dicit: Simon, Simon, expetivit te ſatanas, ut cribraret te tamquam triticum, ſed ego rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quod igitur hujus ſolicitudinis curæque præmium mihi rependis? Eamdem curam, quam nobis impendit, repoſcit: Nam & tu, inquit, aliquando converſus confirma

fra-

fratres tuos. Neque prorſus alia res eſt, quæ perinde declaret, doceatque, quis ſit fidelis, & amans Chriſti, quàm ſi fratrum curam agat, proque illorum ſalute gerat ſolicitudinem.

℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

HÆc omnes audiant, & Monachi, qui montium occuparunt cacumina, quique modis omnibus ſeipſos mundo crucifixerunt, quo pro viribus Eccleſiarum præfectos adjuvent, horumque curas leniant precibus, concordia, charitate, ſcientes quod niſi modis omnibus opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur, per gratiam Dei, totque negotiorum curas ſuſtinent, quibuscumque poſſunt rationibus auxilientur quamquam procul habitantes, & victus fors ipſis periiſſet, & tota in ſcopulum impegiſſet ſapientia.

℟. Iſte homo &c.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 12.

Lectio S. Evangelii ſecundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit Jesus diſcipulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcincti & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et reliqua.

De Homilia S. Auguſtini Epiſcopi.

Serm: 108. *in Lucam.*

HÆc tria, hoc eſt, abſtinentia à malo & operatio boni, & ſpes præmii æterni commemorata ſunt in Actibus Apoſtolorum, ubi ſcriptum eſt: Quia docebat eos Paulus de continentia, de juſtitia & ſpe vitæ æternæ. Ad contientiam pertinet. Sint lumbi veſtri præcincti. Ad juſtitiam pertinet. Et lucernæ ardentes. Ad expectationem Domini pertinet, quæ eſt ſpes vitæ æternæ. Ergo, declina à malo, hæc eſt continentia, hi ſunt lumbi accincti: Et fac bonum,

hæc est justitia, hæ sunt lucernæ ardentes: Quære pacem & sequere eam, hæc est expectatio futuri sæculi.

℟. Iste est &c.

LECTIO VIII.

HAbentes autem ista præcepta & promissa, quid quærimus in terra dies bonos, ubi eos invenire non possumus. Scio enim quia eos quæritis, quando aut ægrotatis, aut in tribulationibus estis, quæ abundant in isto sæculo. Quoniam quando ætas vergit ad finem & senex plenus est querelis, & nullis gaudiis. Inter omnes tribulationes, quibus conteritur genus humanum, non quærunt homines nisi dies bonos, & vitam volunt longam, quam hic habere non possunt.

℟. Sint lumbi &c.

LECTIO IX.

QUid ergo est vita hominis, etiam illa quæ longa dicitur? Audite, non à me, sed mecum simul, ait enim nobis quidam: Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Et quam rem vult docere, & cui rei utilis est timor Domini? Soquitur: Quis est homo, qui vult vitam & diligit videre dies bonos? Respondemus omnes: Nos volumus. Quod sequitur, audiamus: Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua, ne loquantur dolum. Modo dic: Ego. Eja respondeat mihi aliquis. Ego. Ergo cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantnr dolũ. Et cum hoc feceris, securus expecta vitam & dies bonos. Quare pacem & sequere eam; & tunc bona fronte dices Domino: Feci quod jussisti, redde quod promisisti.

Te Deum laudamus.

Quinta die infra Octavam.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

Deridetur: *ut in Breviario secundo loco.*

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 12.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia Sancti Petri Chrysologi.

Ex Serm: 24. post init.

NOvus ordo vigiliarum, novus habitus imperatur: Sint lumbi vestri præcincti. Nil de vestitu, nil de calceamentis, nil de ipsius occursus apparatu servi vigiles admonentur: sed tota in præcingendis lumbis mandatur cura, tota in constringendis lumbis statuitur vis præcepti, addito lucernarum solatio tantùm, sine quo nec noctis aperitus obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus.

℟. Iste est &c.

LECTIO VIII.

CIngulum quidem est propriè indicium servitutis, quod & discursus expeditos reddat, & faciat obsequentes, sed dixisse suffecerat: Estote præcincti. Cur lumbos potissimum nom nat? Cur tanta jubentis reverentia lumborum facit magnoperè mentionem? Quærit quare? quia in lumbis est tota corporis causa, ex lumbis tota carnis negotia suscitantur, in lumbis tota est humani lapsus, humanæ fragilitatis occasio. Inde venit, quod virtutis ignaros reddit, efficit segniores.

℟. Sint lumbi &c.

LECTIO IX.

HInc eſt ergo, quòd principaliter Dominus lumbos noſtros aſtringi jubet balteo caſtitatis, & totum carnis noſtræ pendulum, fluidum, reſolutum, conſtringi mandat continue zona virtutis: ut carne ſuccincta ad Domini occurſum liber, velox, expeditus noſtræ mentis reddatur inceſſus. Hæc tamen audiens homo ſcire debes, quia te non retardat ab occurſu Dei caro: quia ipſius occurſus officii ipſius eſt inſeparabilis comes, ſi tu ejus componas ſarcinas, ſi releves onera ejus, ſi pendula & ſinouſa involucra ejus tu providus viator aſtringas.

Te Deum laudamus.

Sexta die infra Octavam.

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV. LIB: 10. CAP: 17.

Ex libro moral: Sancti Gregorii Papæ.

BEne juſti ſimplicitas & lampas eſſe dicitur & contempta. Lampas, quia interius lucet, & contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria reſplendet decoris. Lucet ergo & deſpicitur, qui flagrans virtutibus, abjectus æſtimatur. Sed usquequo lampas iſta contemnitur: Usquequo deſpicabilis habetur? Numquid non fulgorem ſuum nullatenus exerit, & numquã, quanta claritate candeat, oſtendit? Oſtendit plane: nam protinus additur: Parata ad tempus ſtatutum. Statutum quippe contemptæ lampadis tempus eſt extremi judicii prædeſtinatus dies, quo juſtus quisque, qui nunc deſpicitur, quanta poteſtate fulgeat, demonſtratur.

℟. Honeſtum facit &c.

LECTIO V.

TUnc enim cum Deo judices veniunt, qui nunc pro

pro Deo injuſtè judicantur. Tunc eorum lux tantò latiùs emicat, quantò eos nunc manus perſequentiū durius anguſtat. Tunc reproborum oculis pateſcet, quod cœleſti poteſtate ſubnixi ſunt, qui terrena omnia ſponte reliquerunt. Unde electis Veritas dicit: Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper duodecim ſedes judicantes duodecim Tribus Jſrael. Neque enim plus quàm duodecim judices illa æterni conſeſſus curia non habebit, ſed nimirum duodenario numero quantitas univerſitatis exprimitur: quia quisquis ſtimulo divini amoris excitatus hic poſſeſſa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariæ poteſtatis obtinebit.

℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

HInc eſt enim, quod de Sanctæ Eccleſiæ Sponſo per Salomonem dicitur: Nobilis in portis vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ. Hinc Jſaias ait: Dominus ad judicium veniet cum Senioribus populi ſui. Hinc eosdem Seniores veritas non jam famulos ſed amicos denunciat, dicens: Non jam dicam vos ſervos ſed amicos meos. Quos Pſalmiſta intuens ait: Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus. Quorum dum celſitudinem cordis aſpiceret, mundi gloriam qua calce calcarent, protinus addidit: Nimis confortatus eſt principatus eorum. Ac ne paucos eſſe crederemus, quos proficere usque ad ſummam tantæ perfectionis agnoſcimus, illico adjunxit: Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur. Quot itaque nunc pro amore veritatis ſeſe libenter humiliant, tot tunc in judico lampades coruſcant.

℟. Iſte homo &c.

In Tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 12.

Lectio Sancti Evangelii Secundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

De Homilia Sancti Petri Chrysologi.

Serm: 24.

COnstringenda est ergo caro continentiæ cingulo, ne effusa vitiis, ac toto peccatorum gravata pondere, supernis & cœlestibus insistere non possit incessibus. Benè ergo Dominus adjecit: Et lucernæ ardentes in manibus vestris; quia semper ad innocentiæ testimonium lucernæ nocturno portantur in tempore: & sicut vitiis amicæ semper sunt tenebræ, ita lucernæ semper inimicæ criminibus: sociæ semper boni operis sunt lucernæ.

℟. Iste est &c.

LECTIO VIII.

SEd in manibus Sanctorum ipsa bona opera sunt lucernæ dicente Domino: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & magnificent Patrem vestrum, qui in cœlis est. Et verè portant lucernas suas, verè fomentis operum, verè misericordiæ unguento inflammant lampades suas, quæ cùm loco, proposito, studio latitant, opere, virtute coruscant, ac splendent toto orbe tarrarum. Et quia expectationis suæ Dominus satis tristes, satis obnoxios noverat mores: ne quis superaretur tædio, ne quis lassesceret tarditate, ne quis longæ expectationis fatigatione succumberet, perseverantibus beatitudinem cœlestem cœleste promittit obsequium.

℟. Sint lumbi &c.

LECTIO IX.

ET ne ipsius beatitudinis qualitas haberetur incerta,

certa, mox adjecit: Amen dico vobis, quia præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit eis. Præcinget ſe Deus, & faciet ſervos diſcumbere, & miniſtrabit eis. En mutatio inaudita rerum, en terribilis correptio dominationis, en pavenda converſio ſervitutis: quia parumper ſervus aſtitit in Domini ſui expectatione ſuccinctus, & ſuſtinendi fidem brevi fatigatione portavit; cui ut talionem redderet, diſſimulat ſe in ipſa divinitate divinitas.

Te Deum laudamus.

Septima die infra Octawam.

In ſecundo Nocturno.

LECTIO VI.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 1. de Victore.

SAncti STANISLAI vita, & gloria ſpecialis non tam ad gloriam, quàm ad virtutem provocat omnes, qui recto ſunt corde. Non recti planè, ſed perverſi eſt animi ante quærere gloriã, quàm exercere virtutem, & velle coronari, qui legitimè non certaverit. Vanum eſt vobis, inquit, ante lucem ſurgere. Ita eſt: fruſtra ad celſitudinem nititur gloriæ, qui priùs non claruit virtute: fruſtra fatuæ virgines ſponſo obviam ſurgunt, quarum lampades extinguuntur, & ideo fatuæ, quia vacuis gloriantur lampadibus, virtutis oleum non habentes.

℟. Honeſtum fecit &c.

LECTIO V.

VIrtus gradus ad gloriam: virtus mater gloriæ eſt. Fallax gloria & vana eſt pulchritudo, quàm illa non parturivit. Stola eſt, cui gloria jure debetur, & ſecurè impenditur. Sancto Stanislao nec virtus, nec gloria deeſt, ſed quemadmodum ambæ res & quo

ordine in homine processerunt, id opere pretium intueri. Habemus enim dilectissimi in vita Stanislai & quod dignè meremur, & quod salubriter imitemur. Tutius sanè æmulanda solidiora, quàm sublimiora; & quæ magis virtutem redoleant, gloriam minus. Studeamus proinde moribus conformari, cui in mirabilibus similari, etsi volumus, non valemus.

℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

ÆMulemur in viro sobrium victum, devotum affectum: æmulemur mansuetudinem spiritus, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem, ponere frænum iræ, & modum linguæ, dormire partius, orare frequentius, commonere nosmetipsos Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, diebus jungere noctes, & divinis laudibus occupare: æmulemur charismata meliora, æmulemur, inquam, quod extitit liberalis in pauperes, patiens ad peccantes, benignus ad omnes. Hoc enim melius. In his forma est, cui imprimamur, in miraculis gloria, à qua reprimamur. Illa lætificent, ista ædificent: moveant illa, ista promoveant.

℟. Iste homo &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 12.

Lectio S. Evangelij Secundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

De Homilia S. Petri Chrysologi.

Sermone 24.

DIscumbenti homini Deus astat, & astat in cœlestibus: epulanti servo servit Dominus, & servit accinctus: pueris suis, ministris suis ministerium facit Christus: & facit in patris jam gloria con-

conſtitutus. Homo calumniaris: eſt adhuc quod detulerit patri, qui tibi in terra lavando pedes extremum repræſentavit obſequiũ, & repromittit in cœleſtibus noviſſimam ſervitutem? Crede hæretice, & tu illi ſtude reddere talionem. Ille tibi in cœleſtibus parat convivium ſe miniſtro; & tu illi in terra non deſinis continuas ingerere & generare blaſphemias.

℟. Iſte eſt &c.

LECTIO VIII.

FAciet & ille tranſitus ſuos, quia tranſiens miniſtrabit illis, de dominatione fidelium ſuorum ad pia tranſiet, & migrabit obſequia: ad te de miſericordi patre ſeveriſſimum tranſibit in judicem Confitentibus, expectantibus miniſtrabit epulas, miniſtrabit & tibi, ſed dignam de tua negatione ſententiam. Si in ſecunda & tertia vigilia venerit: vigilias mundus plures, tres tantum vigilias novit expectatio Trinitatis: quare tamen à ſecunda cæpit; & tacuit primam? Quia prima vigilia jam in ortu Dominicæ Nativitatis exceſſerat.

℟. Sint lumbi &c.

LECTIO IX.

PRobant hoc paſtores, qui dum ſupra gregem ſuum vigilant, gregis ipſum Paſtorem in præſepio invenire, videre, tenere merentur & auctorem. Sed quæ ſit ſecunda & tertia vigilia, requiramus. Sicut utique prima vigilia eſt ſui ortus in carne, ita ſecunda eſt vigilia, qua noſtra redit & reſuſcitatur in carne. Denique ne ad reſurgentem veniat, annus excitatur & vigilat mundus. Tertia vigilia eſt illa, qua expectatio tota noviſſimo venientis finitur adventu, ut ſicut ille reſurrexit nobis, ita nos illi jam perpetuam reſurgamus ad vitam.

Te Deum laudamus.

In die Octava.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Serm: 2. de S. Victore.

GAudete in Domino dilectissimi, qui inter continua suæ pietatis beneficia indulsit hominem mundo, cujus multi salvarentur exemplo: iterum dico, gaudete: quod factus de medio appropiavit Deo, ut multo plures ejus intercessione salventur. In terris visus est, ut esset exemplo: in cœlum levatus est, ut sit patrocinio. Hic informat ad vitã, illic invitat ad gloriam. Factus est mediator ad regnum, qui fuit incitator ad opus. Bonus mediator, qui sibi jam postulans nihil, totum in nos transferre desiderat: & supplicantis affectum, & supplicationis fructum. Quid enim quærat nisi, qui nullius eget?

℟. Honestum facit &c.

LECTIO V.

HÆc dies gloriosæ migrationis ejus, dies lætitiæ cordis ejus: exultemus & lætemur in ea. Introivit in potentias Domini, gaudeamus, quia nunc potentior est ad salvandum. Hodie Stanislaus posito corpore, tanto alacrior, quanto expeditior, penetravit in Sancta, similis factus in gloria Sanctorũ. Hodie despecto mundo & mundi principe triumphato supra mundum victor ascendit, accipiens de manu Domini coronam victoriæ. Ascendit autem cum immensa supellectili meritorum, clarus triumphis, miraculis gloriosus. Sedet veteranus miles, debita jam suavitate & securitate quietus, securus quidem sibi, sed nostri solicitus. O venerandam etiam ipsis Angelis sanctitatem! quam pari studio, etsi dispari voluntate, & mali fugitant, & frequentant boni. Nec

facilè

facilè dixerim, quid virum astruat sanctiorem, horum favor aut pavor illorum.

℟. Amavit eum &c.

LECTIO VI.

O Miles emerite, qui Christianæ militiæ duris laboribus Angelicæ felicitatis requiem commutasti: respice ad imbelles & imbecilles commilitones tuos, qui inter hostiles gladios & spiritales nequitias, tuis laudibus occupamur. Quam piũ, quam dulce, quam suave, o Stanislae; in hoc loco afflictionis, & in hoc corpore mortis te canere, te colore, te precari. Nomen tuum & memoriale tuum favus distillans in labiis captivorum, mel & lac sub lingua eorum, qui tui memoria delectantur. Eja ergo fortis athleta, dulcis Patrone, advocate fidelis, exurge in adjutorium nobis, ut & nos de nostra ereptione gaudemus, & tu de plana victoria glorieris.

℟. Iste homo &c.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 12.

Lectio S. Evangelii secundùm Lucam.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et reliqua.

Homilia Sancti Fulgentii Episcopi.

Ex Sermone de Confess.

SI istum Domini sermonem secundum litteram velimus accipere, nihil in eo commodi spiritalis possumus invenire: quid enim proficit ad animæ salutem, si aliquis corporaliter aut lumbos præcingat, aut lucernam accendat? In lumbis itaque concupiscentia carnalis ostenditur, in lucernis verò fides, & charitas Christiana monstratur. Jubens igitur Dominus lumbos nostros præcingi, concupiscentias carnis sine dubio præcipit refrænari. Imperans autem,

ut lucernas ardentes habeamus, hoc utique jubet, ut & lumine veræ fidei ſplendeamus, & Sanctæ charitatis operibus ferveamus.

℟. Iſte eſt &c.

LECTIO VIII.

ISta, quæ Evangelio propoſuimus: cum propheticis ſermonibus conferamus. Utrumque enim teſtamentum Deus inſtituit, unus Dominus dedit: etſi ſunt utriusque teſtamanti diverſa pro temporibus Sacramenta; concordat tamen in utroque ſalutis humanæ ſententia, qua præcipitur, ut non peccemus, & jubetur, ut bonis operibus inſiſtamus. Per Jſaiam Dominus omnes his admonet verbis: Auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis, quieſcite perversè agere, diſcite benè facere. Quid eſt enim: Sint lumbi veſtri præcincti, niſi, quieſcite agere perversè? quid eſt: Sint lucernæ ardentes, niſi, diſcite benè facere.

℟. Sint lumbi &c.

LECTIO IX.

Dicitur de Homilia in Evang: Dominicæ.

Te Deum laudamus.

DECEMBER.

In Feſto S. BARBARÆ Virginis & Martyris.

ORATIO.

INterceſſio quæſumus Domine, Beatæ BARBARÆ Virginis & Martyris tuæ, ab omni nos adverſitate protegat, ut per ejus interventum, glorioſiſſimum Sacroſancti Corporis & ſangvinis Domini noſtri JESU Chriſti Sacramentum ante diem exitus noſtri, per veram pænitentiam, & puram confeſſionem percipere mereamur. Qui tecum vivit & regnat, &c.

In ſecundo Nocturno.

LECTIO IV.

BARBARA Virgo Nicomedienſis Dioſcori nobilis, ſed ſuperſtitioſi hominis filia, per ea, quæ viſibilis facta ſunt, ad inviſibilia. Divina opitulante gratia facile pervenit. Quapropter ſoli Deo, rebusque Divinis vacare cæpit. Eam Pater, utpote forma venuſtiore nitentem, à quocunque virorum occurſu tutari cupiens, turri incluſit, ubi pia Virgo meditationibus, & precibus addicta, ſoli Deo, quem ſibi in Sponſum delegerat, placere ſtudebat. Oblata à Patre pluries nobilium connubia fortiter ſprevit: Pater vero per ſui abſentiam filiæ animum poſſe facilius emolliri confidens, juſſit primo balneum exſtrui, ne quid ei deeſſet ad commoditatem: deinde peregre in exteras regiones profectus eſt.

LECTIO V.

ABſente patre, juſſit BARBARA duabus feneſtris, quæ in turri erant, tertiam addi, in honorem Divinæ Trinitatis, labiumque balnei Sacroſanctæ Crucis ſigno muniri, quod ubi rediens Dioſcorus inſpexit, audita novitatis cauſa, adeo in filiam excanduit, ut ſtricto enſe eam appetens parum abſuerit, quin eam dirè confoderet: ſed præſto adfuit Deus: fugienti BARBARÆ ſaxum ingens ſe patefaciens, viam aperuit, per quam montis faſtigium petere, & in ſpecu latere potuit, ſed paulo poſt, cùm à nequiſſimo genitore reperta fuiſſet, ejus latera pedibus, dorſumque pugnis immaniter percuſſit, & crinibus per loca aſpera difficileſque vias raptatā Marciano Præſidi puniendam tradidit.

LECTIO VI.

ITaque ab ipſo omnibus modis, ſed in caſſum tentatam nudam nervis cædi, & inflicta vulnera teſtulis confricari, deinde in carcerem trahi præcepit;

ubi

ubi immenſa luce circumdatus ei Chriſtus apparens, mirificè confortatam in paſſionum tolerantia confirmavit; quod advertens Juliana matrona ad fidem converſa, ejusdem palmæ particeps effecta eſt. Barbaræ demum ferreis ungvibus membra laniantur, facibus incenduntur, & malleolis caput contunditur; quibus in cruciatibus conſortem conſolabatur & hortabatur, ut ad finem usque conſtanter certaret. Præciſis tandem utrique uberibus, nudæ per loca publica tractæ capite plectuntur. Filiæque cervicem ipſe ſceleſtiſſimus pater humanitatis expers propriis amputavit manibus cujus fera crudilitas non diu indulta remanſit, nam ſtatim eo ipſo loco fulmine percuſſus interiit.

In tertio Nocturno.

LECTIO VII. CAP. 25.

Lectio Sancti Evangelii ſecundùm Matthæum.

IN illo tempore: Dixit JESUS Diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades ſuas exierunt obviam ſponſo & ſponſæ. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chryſoſtomi.

Homilia 79. in Matthæum circa medium.

POſt ingentes labores, poſt incredibiles, ſudores & accerrimas pugnas, poſt trophæa, quæ de naturæ rabie ſtatuerunt reſurgunt cum dedecore, & lampadibus earum extinctis: terram aſpicientes recedunt. Nihil ſane tenebroſius: eſt, quàm virginitas oleo carens, unde ſic vulgo multi immiſericordes tenebroſos ſolent appellare. Quid igitur ex virginitate lucratæ ſunt, quæ nec ſponſum quidem viderunt, nec ſaltem ad pulſandum usque pervenerunt, ſed terribile illud verbum audivêre: Abite, neſcio vos.

℟. Hæc eſt Virgo ſapiens &c.

LECTIO VIII.

QUod cùm ipse dixerit: nihil aliud quàm gehenna & intolerabilis cruciatus relinquitur: imò vero etiam gehenna istud verbum gravius est: hoc verbum operantibus etiam iniquitatem dixit: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Crebro id repetit nt ignorantiam exitus ab hac vita, utilem esse ostendat. Ubi sunt ergo qui per totam vitam desidia torpescunt, & quando à nobis admonentur, respondere non dubitant omnia se pauperibus moriendi tempore relicturos?

℟. Media nocte, &c.

LECTIO IX.

AUdiant hæc verba, & emendent se; multi enim abeundi tempus expectantes, ita repentè rapti sunt, ut nec injungere suis quidquam potuerint. Sed hæc quidem parabola ejus eleemosynæ gratia, quæ cum pecunia conficitur, dicta est. Cur autem hæc Parabola Sponsum adducit? Ut videas, quantum virginibus Christus afflicitur iis, quæ sua pauperibus erogant: hæc enim & vera virginitas est. Nam & Paulus huic rei hanc descriptionem attribuit dicens: Innupta solicita est de iis, quæ Domini sunt ut sit Sancta corpore & spiritu.

Te Deum laudamus.

OFFICIUM
In Festo Translationis ALMÆ DOMUS B. MARIÆ VIRGINIS.

Duplex Majus.

Ad Vesperas, Antiphona.

Domum tuam, *cum reliquis de laudibus, infra.*

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis ut in Officio parvo B. Virginis MARIÆ.*

Capi-

Capitulum Eccl: 24.

IN omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

HYMNUS.

AVe maris Stella, *prout in Officio parvo B. Virginis MARIÆ.*

℣. Hæc est Domus Domini firmiter ædificata.

℟. Bene fundata est supra firmam patram.

Ad Magnificat, Antiphona.

SAnctificavit Dominus tabernaculum suum: quia hæc est Domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

ORATIO.

DEUS, qui Beatæ Virginis MARIÆ Domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiæ tuæ mirabiliter collocasti: concede, ut segregati à tabernaculis peccatorum, digni efficiamur habitatores Domus Sanctæ tuæ. Per eundem Dominum &c.

Et non fit Comm: Oct: Concut.

Ad Matutinum Invitatorium.

SAlvatorem mundi in Domo Virginis de Spiritu Sancto conceptum: * Venite adoremus.

Psalmus. Venite exultemus.

Hymnus. Cœlestis Urbs Jerusalem: *prout in Festo Dedicationis Ecclesiæ.*

In primo Nocturno.

Antiph: Elevata est magnificentia tua super Cœlos.

Psalm: Domine Dominus noster, *cum reliquis prout in Officio parvo B. V. MARIÆ.*

Antiph:

Antiph: In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam Sponſus procedens de thalamo ſuo.

Antiph: Quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco Sancto ejus? innocens manibus, & mundo corde.

℣. Domum tuam Domine decet ſanctitudo.

℞. In longitudinem dierum.

Pater noſter.

Abſolutio. Exaudi Domine.

℣. Jube omne benedicere.

Benedict: Benedictione perpetua.

LECTIO I. CAP. 8.

De libro tertio Regum.

STetit autem Salomon ante Altare Domini in conſpectu Eccleſiæ Jſrael, & expandit manus ſuas in Cœlum, & ait: Ergone putandum eſt, quod verè Deus habitet ſuper terram? Si enim Cœlum, & Cœli Cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? ſed reſpice ad Orationem ſervi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus: audi Hymnũ & Orationem, quam ſervus tuus orat coram te hodie: ut ſint oculi tui aperti ſuper Domum hanc nocte ac die: ſuper Domũ de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias deprecationem ſervi tui, & populi tui Jſrael, quodcunque oraverint in loco iſto; & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & cum exaudieris propitius eris.

℞. Vidi ſpecioſam ſicut columbam, aſcendentem deſuper rivos aquarum: cujus inæſtimabilis odor erat nimis in veſtimentis ejus: * Et ſicut dies verni circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium.

℣. Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Et ſicut dies.

LECTIO II.

SI fugerit populus tuus Jſrael inimicos ſuos (quia peccaturus eſt tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo, venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint, in Domo hac: exaudi in Cœlo, & dimitte peccatum populi tui Jſrael, & reduces eos in terram, quam dediſti patribus eorum. Si clauſum fuerit Cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco iſto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis ſuis converſi fuerint, propter afflictionem ſuam: exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata ſervorum tuorum, & populi tui Jſrael: & oſtende eis viam bonam, per quam ambulent, & da pluviam ſuper terram tuam, quam dediſti populo tuo in poſſeſſionem.

℟. Quæ eſt iſta, quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol: * Terribilis ut caſtrorum acies ordinata.

℣. Filia Sion tota formoſa, & ſvavis es, pulchra ut luna, electa ut Sol. Terribilis ut.

LECTIO III.

SI quis cognoverit plagam cordis ſui, & expanderit manus ſuas in Domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies ut des unicuique ſecundum omnes vias ſuas, ſicut videris cor ejus (quia tu noſti ſolus cor omnium filiorũ hominum) ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt ſuper faciem terræ, quam dediſti patribus noſtris. Inſuper & alienigena, qui non eſt de populo tuo Jſrael, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum, (audietur enim nomen tuum magnũ, & manus tua fortis, & brachium tuum extensũ ubique) cùm venerit ergo, & oraverit in hoc loco, tu exaudies in cœlo & firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut

discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Jsrael, & probent, quia nomen tuum invocatum est super Domum hanc.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, & formosa tanquam Jerusalem: * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium. Viderunt.

Gloria Patri. Viderunt.

In secundo Nocturno.

Antiph: Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi.

Antiph: Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Antiph: Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.

℣. Domine dilexi decorem Domus tuæ.

℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Pater noster.

Absolutio. Ipsius pietas.

℣. Jube domne benedicere.

Benedict: Deus Pater Omnipotens.

LECTIO IV.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 52. de divers:

SApientia, quæ Dei erat, & Deus erat de sinu Patris ad nos veniens ædificavit sibi Domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide & operibus præparare? nimirum ternarius numerus ad fidem propter Sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria Sancta

Trinitas fuerit, dico per præsentiam Majestatis, ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuntius cœlestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum; & post pauca: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum Sanctum, habes Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.

℟. O quam metuendus est locus iste: * Verè non est hic aliud nisi Domus Dei, & Porta cœli.

℣. Hæc est Domus Domini firmiter ædificata, benè fundata est supra firmam petram. Verè non.

L E C T I O V.

Utrum autem, & quatuor principales virtutes, tanquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primùm ergo videamus, an fortitudinem habuerit, quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Ni fallor hæc Virgo est, quæ apud Salomonem legitur, mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Porro, quod temperans, & justa fuerit, ex Angeli collocutione, & sui ipsius responsione, luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum: non se extulit, quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur, sed siluit, & qualis esset insolita hæc salutatio, secū cogitavit. Qua in re, quid, nisi temperans fuit? at verò, cum de cœlestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæsivit, quomodo conciperet, & pareret, quæ virum utique non cognosceret; & in hoc sine dubio prudens extitit.

℟. Fundata est Domus Domini supra verticem

mon-

montium, & exaltata eſt ſuper omnes colles: * Et venient ad eam omnes Gentes, & dicent, Gloria tibi Domine.

℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Et venient.

LECTIO VI.

JUſtitiæ autem præſefert inſigne, ubi ſe ancillam Domini confitetur; nam quod juſtorum ſit confeſſio, teſtatur qui ait: Verumtamen juſti confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur Beata Virgo MARIA fortis in propoſito, temperans in ſilentio, prudens in interrogatione, juſta in confeſſione. His itaque quatuor morum columnis, & tribus fidei prædictis extruxit in ea ſibi Domum Sapientia cœleſtis, quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fæcundaretur & caro. Ipſius autem Virginis natalis Domus divinis myſteriis conſecrata, Angelorũ miniſterio ab infideliũ poteſtate in Dalmatiã prius, deinde in Agrũ Lauretanũ Picenæ Provinciæ translata fuit, ſedente Sancto Cœleſtino quinto: eamdemque ipſam eſſe, in qua verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, & celeberrima totius Orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute & cœleſtium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Jnnocentius Duodecimus, quo ferventius erga Matris amantiſſimæ cultum Fidelium memoria excitaretur, ejusdem Sanctæ Domus Translationem anniverſaria ſolemnitate in tota Piceni Provincia veneratam, Miſſa etiã, & Officio proprio celebrare præcepit.

℟. Domus mea Domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit; & qui quærit, invenit: * Et pulſanti aperietur.

℣. Petite & accipietis: quærite, & invenietis. Et pulſanti. Gloria Patri. Et pulſanti.

In tertio Nocturno.

Antiph: Tollite hostias, & introite in atria ejus, adorate Dominum in aula Sancta ejus.

Antiph: Viderunt omnes populi, gloriam ejus.

Antiph: Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus, Alleluja.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

Pater noster.

Absolutio. A vinculis.

℣. Jube domne benedicere.

Benedict: Evangelica lectio.

LECTIO VII. CAP: 1.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galileæ, cui Nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Homil: 3. super Missus est.

QUæ est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo; tam humilis, ut desponsata sit Fabro? Pulchra permixtio Virginitatis, & humilitatis, nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem: sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fecunditas, & partus consecrat virginitatem? Audis Virginem, audi humilem? laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas; illa consulitur, ista præcipitur.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiæ Regum in honore tuo. Propterea.

LE-

LECTIO VIII.

Ex Homil: 2. super eodem loco.

MIssus est, inquit, Angelus ad Virginem; Virginem carne, Virginem mente, Virginem professione, Virginem denique, qualem describit Apostolus, mente & corpore Sanctam, nec noviter, nec fortuito inventam, sed à sæculo electam ab Altissimo præcognitam, & sibi præparatam, ab Angelis servatam, à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam, ut pauca loquar de pluribus, quam sibi aliã prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te, & mulierem? Etsi adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod sequitur: Ipsa conteret caput tuum: cui hæc servata victoria est, nisi Mariæ?

℟. Beata es Virgo MARIA, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino, perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es, super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave MARIA, gratia plena; Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

LECTIO IX.

Ex Homil: 3. super eodem loco.

ET ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Quo ingressus ad eam? Puto in Sacrarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli adstare orantibus, & delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocaustum Sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo, in odorem svavitatis. MARIÆ autem orationes quantum placuerint, in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam tam reverenter salutavit.

Te Deum laudamus &c.

Ad Laudes, & per Horas.

Antiph: Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum.

Pſalm: Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Antiph: Domus mea, Domus orationis vocabitur; in ea omnis qui petit, accipit; & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur.

Antiph: Propter Domum Domini Dei noſtri quæſivi bona tibi.

Antiph: Domine Deus exaltaſti ſuper terram habitationem meam.

Antiph: Domum Majeſtatis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.

Capitulum. In omnibus requiem, *ut ſupra.*

Hymnus. Alto ex Olympi, *prout in Feſto Dedicationis Eccleſiæ.*

℣. Introibimus in tabernaculum ejus.

℟. Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.

O R A T I O.

Deus qui Beatæ MARIÆ Virginis, *ut ſupra.*

Ad Primam in ℟. brevi dicitur.

Qui natus es de MARIA Virgine.

Ad Tertiam.

Antiph: Domus mea.

Capitulum.

In omnibus requiem quæſivi, *ut ſupra.*

℟. *breve.* Hic Domus Dei eſt: * Et Porta Cœli. Hic Domus.

℣. Et vocabitur Aula Dei. Et Porta.

Gloria Patri Hic Domus.

℣. Do-

℣. Domine dilexi decorem Domus tuæ.

℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ad Sextam.

Antiph: Propter Domum Domini.

Capitulum.

Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. *breve.* Domine: * Dilexi decorem Domus tuæ. Domine.

℣. Et locum habitationis gloriæ tuæ. Dilexi. Gloria Patri. Domine.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

Ad Nonam.

Antiph: Domum Majestatis meæ.

Capitulum.

In plateis, sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi svavitatem odoris.

℟. *breve.* Domum tuam Domine: * Decet sanctitudo. Domum.

℣. In longitudinem dierum. Decet sanctitudo. Gloria Patri. Domum.

℣. Hic Domus Dei est, & Porta Cœli.

℟. Et vocabitur Aula Dei.

In II. Vesperis, omnia ut in primis, præter Antiphonam sequentem.

Ad Magnificat, Antiphona

O quam metuendus est locus iste! verè non est hic aliud, nisi Domus Dei, & Porta Cœli.

O R A T I O. *Ut supra.*

JNDEX
FESTORUM HUJUS PROPRII.

JU-